



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Tractatus XXI. & Disputatio vnica, De venerabili Eucharistiae Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)



TRACTATUS XXI. ET DISPUTATIO VNICA, DE VENERABILI EUCCHARISTIÆ SACRAMENTO.

EUCCHARISTIA & Sacramentum est, & Sacrificium. Tractatus præsens Eucharistiam quatenus Sa-
cramentum, est explicabit. Sequens verò quatenus est Sacrificium.

PUNCTVM I.

De nomine, & institutione Eucharistiæ.

1. Quoi nominibus Eucharistia decoretur.
2. Fuit Eucharistia instituta à Christo in vltima cæna, & ob quem finem.
3. Quo die fuerit instituta.
4. Obiectiones proponuntur, & diluuntur.
5. Post lotionem pedum discipulorum præsentem Iuda, & facta cæna legali institutum est hoc sacramentum.

EUCCHARISTIA, quod nomen Græcum est, Latine *Bona gratia* nuncupatur. Tum quia continet in se Christum fontem totius gratiæ. Tum quia per ipsam vberior gratia, quam per alia sacramenta conceditur. Tum quia est pignus vitæ æternæ, quæ gratia appellari solet, iuxta illud Pauli ad Rom. 6. Gratia Dei vitæ æternæ. Secundo dicitur *Viam*, quia moriturus viam parat ad gloriam. Tertio appellatur *synaxis*, Latine *Communiõ*, quia per hoc sacramentum nos cum Christo capite, & inter nos ipsos coniungimur, & vni-mur, sicuti explicuit D. Thom. 3. p. quæst. 73. art. 4. ad. 2. & ante ipsum Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa, c. 14. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cecil. & alij. Quarto dicitur *Sacrificium*, & *hostia*, quia est rememoratio præteriti Sacrificij cruenti, quod Christus Dominus in ara crucis in nostrorum peccatorum satisfactiõnem obtulit, & quia ipsum Christi corpus viuum, cæquam res oblata immolatur, & sumitur in peccatorum expiationem, & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, aliorumque impetratione. Vnde propriissime Eucharistia gratiarum actio nuncupatur, quia per eam Deo singularem gratiarum actionem pro beneficiis acceptis impendimus. Item vocatur panis vitæ, & intellectus, quia vitam causat, & intellectum illuminat. Panis cælestis, seu qui de cælo descendit, iuxta illud Ioann. 6. continet enim Christum, qui de cælo descendit. Aliis nominibus sancti patres hoc sacramentum explicant, de quibus videri potest D. Tho. 3. p. q. 73. art. 4. & ibi omnes eius expostores. Canendum tamen est, vt rectè admonet Vasq. in comment. illius art. à nomine cænae Dominicæ, quia eo vtuntur hæretici ad denotandum Eucharistiam nihil aliud esse, quam cænae vsualis figuram, morumque representationem.

2. Hoc sacramentum institutum esse à Christo Domino in vltima cæna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro nostrorum peccatorum satisfactiõne, testantur Euangelistæ Matth. 26. Marc. 14. Lucæ. 22. Nam Ioan. 6. Solum institutio promissa est. Finis ob quem ipsum sacramentum, & proximè ad mortem fuerit institutum optimè traditur à Trident. sess. 13. cap. 2. cui nihil addendum superest.

3. Sed quo die, an die 14. Lunæ Martij ad Vesperam vltimam illius diei, & principium 15. fuerit hoc sacramentum institutum? non leuis est controuersia inter Doctores, vt videre est apud Suar. disput. 41. sect. 1. Gab. Vasq. disp. 172. Agid. de Conineh. q. 74. art. 4. dub. 1. Et omnis alij opinionibus pro certo habendum est cum prædictis doctoribus hoc Sacra-

mentum institutum esse die 14. lunæ ad illius diei vespeream & principium diei 15. Quia hoc Sacramentum institutum est primo die azimorum, quo Christus Dominus agnum Paschalem cum suis discipulis comedit, vt manifestè colligitur ex illo Matth. 26. dicentis. Primo die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Et Marci 14. Primo azimorum, quando Pascha immolabant (scilicet Iudæi) dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Et Lucæ 12. Venit autem dies azimorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Sed primus dies azimorum fuit 14. mensis ad vespeream iuxta illud Exodi 12. Reseruabis eum (id est agnum) vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vespeream. Ergo hoc sacramentum institutum est decimo quarto die ad vespeream inchoante 15. Mos enim erat Iudæis diuersimodè dies communes & naturales numerare, ac numerabant dies festiuos. Nam dies communes enumerabant ab ortu solis vsque ad occasum, eaque de causa dictum est Ioan. 19. n. 14. Christum Dominum circa horam 6. fuisse crucifixum. At dies festiuos à vespere antecedenti vsque ad vespeream subsequenti diei computabant, iuxta illud Leuit. 23. n. 32. A vespere vsque ad vespeream celebrabitis sabatha vestra. Cum ergo Christus Dominus celebrauerit Pascha, cum discipulis suis eo die, quo Iudæi celebrabant, efficitur celebrasse decimo quarto die ad vespeream, quia ab ea vespere solemnitas Paschalis, & dies azimorum incipiebat, & conuequenter eo die sacramentum instituisse.

4. Sed his obstat primo, quod dixerint Iudæi Matth. 26. consilium inicentes de occidendo Christum. Ne fieret in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Sed respondeo, quia esto id desiderasset, at oblata occasione ex prodicione Iudæ aduersus suum primum consilium processerunt, & in die festo occiderunt forte, vt maior Christo esset ignominia. Secundo obstat, quoad Ioan. 23. dicitur ante diem festum Paschæ hoc sacramentum fuisse institutum, sed dies festus incipiebat à vespere diei 14. vsque ad vespeream 15. Ergo Christus Dominus non instituit hoc sacramentum 14. die ad vespeream. Respondeo Ioannem computasse diem non secundum festiuitatem, sed secundum communem, & vulgarem vsam: qui incipiebat ab ortu solis: secundum quam computationem verissimè fuit ante diem festum Paschæ fuisse hoc sacramentum institutum, siquidem fuit ad vespeream diei 14. Tertio obstat noluisse Iudæos introire in domum Pilati, ne contaminarentur, sed possent manducare Pascha, ergo Pascha, id est agnum paschalem nõdum conederant. Sed respondeo ibi nomine Pascharis non agnum Paschalẽ, sed vietas illis diebus festiuis oblatas intelligendas esse, iuxta illud Num. 28. n. 19. Quæ quia in paschate offerbantur, Pascha vocatæ sunt. Quarto obstat dixisse Ioan. 19. Christum passum esse in Parasceue paschæ. Ergo non in paschate. Ergo institutio Eucharistiæ non fuit ad vespeream primam diei 15. Respondeo Parasceue, quod est preparatio ciborum solum diem sabathi præcedere, non alios dies festiuos Exod. 12. n. 16. ideoque optimè potuit Christus pati in paschate sumpto paschate pro die quolibet festiuo ex illis septem, & pati in Parasceue paschæ, quia pariebatur in die præcedete sabathum, in quo et si festiuo poterant sibi preparari, vt dictum est,

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I V.

est. Quinto obstat, quod eo die, quo Christus mortuus fuit, Ioseph mercator est Sydonem, & mulieres parauerunt aromata ad sepeliendum, & Iudaei criminaliter processerunt contra Christum. Quae omnia non videntur in die festo licuisse, iuxta illud Levit. 23. Dies requiescentis est, omne opus non facietis in eo. Sed respondeo solo die sabathi omnia opera servilia prohibita esse, secus aliis diebus festiuis, siquidem in illis preparari cibi poterant. Adde opera pietatis servilia non esse. Quod vero Iudaei die festo criminaliter contra Christum processerint, ideo fuit, quia odio excitati putabant sibi licere eius mortem procurare, ideo non dicebant, non in die festo, quia nobis non licet, sed ne tumultus fiat in populo. Coniungitur ergo Christum Dominum in die festo pridie ante Sabathum passum esse, sed Christum Sacramentum Eucharistiae instituit pridie ante mortem. Ergo institutum fuit 14. ad vesperam. Nam dies 14. festiuis, & solemnibus non erat, tamen vespere illius sollemnis esset, quia ab ea vespere solemnitas Paschalis numerabatur.

5. Deinde dubitari poterat, an post lotionem pedum discipulorum vel ante, an praesente Iuda, vel illo absente, an facta cena usuali, vel ante illam hoc sacramentum institutum sit? Quae in re omittis variis opinionibus, quas refert Suar. t. 3. in 3. p. 9. 73. disp. 41. sect. 2. 3. & 4. Henriq. lib. 8. de Eucharistia. cap. 2. Affirmandum est Christum Dominum Eucharistiam instituisse post cenam legalem, ut colligitur ex Trident. 22. cap. 1. dicente: Celebratio veteri Paschate nouum instituit. Item ex illo hymno Ecclesiae.

Post agnum typicum

Expletis epulis

Corpus Dominicum

Datum discipulis.

Imo & institutum fuit post lotionem pedum discipulorum, ut constat ex praedictis Euangelistis, ubi lotionem facta recubuit cum discipulis suis, & cenantibus illis accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite, & manducate: hoc est corpus meum. Similiter, & calicem. Merito ergo post lotionem institutum esse hoc sacramentum, ut eo facto significaretur ad sumendam Eucharistiam summam munditiam, & puritatem praecedere debere, sicuti notauit D. Thom. Euthym. & Lyra, Matth. 26. Bernard. serm. de cena Domini. Damascen. lib. 8. c. 14. & alij relati a Suar. & Henriq. supra. Praeterea institutum est inter cenandum cum discipulis suis cena usuali, vel, ut alijs placet, ante illam. Finita legali, & pedum lotionem. Vtrum autem praesente Iuda, vel illo absente? Probabilis est praesente Iuda factam fuisse institutionem. Tum quia Luc. 22. postquam dixit accepisse Christum panem, illumque confecerat, dedisseque discipulis suis, subdidit: Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa. Quasi diceret, etsi meum corpus, & sanguinem vobis trado, non tamen ignoro in mensa esse traditorem. Tum etiam quia Iudas confecerat fuit Sacerdos, & Episcopus iuxta illud Act. 1. Et Episcopatum eius accipiat alter. Quod sacramentum Christus Dominus instituit post Eucharistiae institutionem illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem. Neque obstat esse peccatorem, & eius peccatum Christum cognouisse, quia erat peccatum occultum, & ad summum Ioanni, & Petro manifestatum. Etenim Ioanni interroganti quis esset proditor, respondit Christus. Cui ego incidit panem porrexero, & Iudae tradidit. Oculum autem peccator a communione publica non debet excludi.

PUNCTUM II.

De natura Eucharistiae.

1. Desinitur Eucharistia.
2. Est sacramentum a Christo institutum.
3. Constat ex speciebus panis, & vini, & corpore, & sanguine Christi.
4. Proponitur obiectio, & soluitur.
5. Verba consecrationis non sunt forma intrinseca huius Sacramenti.
6. Est omnium sacramentorum perfectissimum.
7. Non sunt plura, sed unum, integrum, & perfectum Sacramentum.
8. Proponitur obiectio, & soluitur.
9. Examinatur, an plures species panis, & vini disticta plura numero sacramenta constituant? Negant plures.
10. Pr. habilius est oppositum.
11. Fit satis fundamentis n. 9. allatis.

1. Desinitur Eucharistia, ut sit sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spirituales animarum refectionem institutum.

2. Ex qua definitione constat Eucharistiam Sacramentum esse a Christo institutum, ut desinitur ab Innocent. I. III. cap. primum de summa Trinitate. & fide Catholica. & cum Marthe

de celebrat. missar. & ab Eug. IV. in decreto fidei, quod est post vltimam sessionem concilij Florent. §. quinto Ecclesiasticorum, & a Trident. sess. 7. can. 1. & specialiter sess. 11. Ferè per totam. Etenim corpus Christi Domini, eiusque sanguis sub speciebus panis, & vini contenta hominem spiritualiter nutriunt, & reficiunt, iuxta illud Ioann. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sunt ergo verum Sacramentum ex definitione sacramenti, quae est esse signum sensibile gratiae sanctificantis. Nam esto Corpus, & sanguis Christi Domini in hoc sacramento existentia sentiri non possunt. At quatenus sub speciebus existunt, sentiuntur, sicuti contritio in potestate in anima residens, esto per se sensibilis non sit, at quatenus confessionem informat, sensibilis redditur.

3. Secundo constat ad illius intrinsecam constitutionem tum species panis, & vini, tum Corpus, & sanguinem Christi pertinere. Species quatenus Corpus, & Sanguinem Christi continent: Corpus, & Sanguinem Christi, ut sub speciebus panis continentur, quia sub hac ratione sumentem reficiunt. Neque enim sola species, neque Corpus Christi, nisi sub speciebus contentum animae cibus sunt. Neque item species a Christo separata adorari possunt adoratione laetiae, cum tamen hoc Sacramentum sic necessarium sit adorandum, ut definiuit Trident. sess. 13. cap. 5. Neque Christus seclusus speciebus est nobis signum sensibile. Denique transubstantiatione (quae est conuersio vnius substantiae in aliam substantiam sub eisdem accidentibus) hoc venerabile sacramentum, teste Trident. sess. 13. cap. 3. conficitur. At si destructa substantia panis, & vini loco illius Corpus, & Sanguis Christi non succederet, transubstantiatio non esset. Ergo hoc Sacramentum essentialiter constat speciebus panis, & vini Corpus, & Sanguinem Christi continentibus. Et ita sustinet S. Thom. q. 73. art. 1. & in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. Suar. disp. 42. sect. 3. Regid. de Coninch. q. 73. art. 1. dub. vnic. n. 20. Valqu. disp. 167. c. 3. & 5. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. c. 1. concl. 2. Bonac. disp. 4. de Sacram. pun. 1. à n. 1. & alij variis Patrum, & conciliorum testimoniis doctrinam exornantes.

4. Quod si obiectis textum, in e. hoc est. de consecrat. dist. 2. qui solis speciebus sacramenti rationem videtur concedere. Inquit enim textus, Sacrificium Ecclesiae duobus modis conficitur, duobus constare, visibili elementorum specie, & sanguine, & sacramento, & re sacramenti, id est Corpore Christi. Distinguit ergo Corpus Christi a sacramento, & forte ob hanc causam plures Patres affirmant Corpus, & Sanguinem Christi esse in hoc sacramento, denotant ergo esse a sacramento distincta? Facile respondere possumus ibi accipi sacramentum pro nudo signo visibili, quod certe solis speciebus competit, qualiter a Trident. sess. 13. cap. 3. Sacramentum usurparat, Christum vero Dominum esse rem, quae sub illo signo continetur. Adde Christum Dominum dici posse esse rem sacramenti, id est, quae Sacramentum perficit, & constituit, & in ipso existit tanquam pars in toto, sicuti anima dicitur esse res hominis, & in homine existere. Quod si vigeas, difficile est in hoc sacramento assignare tria illa, quae communiter a doctoribus cum Mag. in 4. dist. 8. & Hugone de sancto Victore t. 1. lib. 2. de Sacram. pun. 8. c. 7. & Innocent. in cap. eum Marthe de celebrat. missar. distinguuntur, scilicet res tantum, sacramentum tantum, res & sacramentum simul, cum namque species significant Corpus Christi ibi contentum, neque è contra Corpus Christi significet species. Dicendum est tria illa absque difficultate in hoc sacramento inueniri. Primo inuenitur res tantum, id est gratia sanctificans, quae significatur per sacramentum, non tamen significat. Secundo reperitur Sacramentum tantum scilicet species, quae licet ex se Corpus Christi ibi adesse non significant, significant tamen illud ex habitudine, quam habent ad verba consecrationis super ipsas prolata. Tertio reperitur res, & sacramentum simul, quod est Corpus Christi sub speciebus contentum, quippe & significatur per species, & significat animae nutritionem.

5. Hinc fit verba consecrationis non esse formam, seu pattem intrinsecam huius sacramenti, sed formam extrinsecam, & causam illius efficientem, ipsamque consecrationem actionem esse, quae ipsum sacramentum conficitur, quia verba, & consecratio transeunt, Sacramentum vero perseverat. Sic tradunt relati Doctores. Neque obest Florentinum dicens omnia sacramenta tribus perfici, rebus, ut materia, verbis ut forma, & ministro. Perficitur namque hoc sacramentum ex substantia panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi conuersis, & ex forma consecrationis, & ex ministro. At ex his intrinsecè non componitur, siquidem deficiente pane, & vino, & transactis verbis consecrationis integrum, & perfectum sacramentum perseverat. Secundo fit sumpcionem specierum sacramentum non esse, sed sacramenti applicationem. Non enim sumpcio sanctificat, sed applicat cibum sanctificantem. Regid. de Coninch. dicto dub. vnic. concl. 7. Bonac. disp. 4. q. 1. p. 1. n. 6. Valquez disp. 167. cap. 3. n. 26. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 1. assers. 3.

6. Tertiò ex prædicta definitione constat Eucharistiam esse sacramentum omnium sanctissimum, & perfectissimum. Tum quia continet realiter Christum Dominum, qui in aliis sacramentis non continetur. Tum quia abundantiori gratia suscipientem reficit, ob idque Trid. *sess. 7. can. 3.* anathemate damnat eos, qui dixerint sacramenta inter se paria esse, vt nulla ratione aliud sit alio dignius. Et *sess. 13. cap. 3.* eam excellentiam in hoc Sacramento præ cæteris agnoscit, quod alia sacramenta solum vim habent sanctificandi fideles, cum actu sumuntur. At in Eucharistia ipse sanctitatis author ante vsum est, ideoque in *cap. 7.* probat huic Sacramento tantum adorationem lætitiæ deberi.

7. Quartò constat corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini vnum, & integrum & perfectum sacramentum, & non plura constituere. Sic D. Thom. quem cæteri scholastici sequuntur, *1. part. q. 73. art. 2. ibi. Ægid. Suar. disp. 39. sect. 3. Valq. disp. 168. cap. 1. Paul. Laymann lib. 5. sum. tract. 4. cap. 1. assert. 4. Bonac. disp. 4. de Sacram. quæst. 1. pun. 4.* Ob idque Pius V. in *catechismo* dixit Eucharistiam non plura, sed vnum tantum sacramentum Ecclesiæ autoritate docti consensurum colligiturque ex Trident. *sess. 7. can. 1.* definitum esse tantum septem sacramenta, nec plura, nec pauciora. At si Corpus Christi contentum sub speciebus panis perfectè, & adæquatè esset distinctum sacramentum à Sacramento sanguinis sub speciebus vini contenti, non leuiter, sed octo sacramenta essent. Vnde autem hæc vnitas sumatur, cum signa sint physice omnino distincta? Alij affirmant desumendam esse ex re contenta, ex eo inquam quod in vtraque specie idem Christus continetur, Alij ex effectu gratiæ, quem vtraque species causat, qui vnus, & idem est. Alij ex vnitate Ecclesiæ hoc Sacramento significata. Etenim per ipsum, vt notat August. *tract. 26. in Ioann. & explicuit Trident. sess. 13. cap. 1.* fideles inter se, & cum Christo capite artissimò fidei, spei, & charitatis vinculo vniuntur. Alij quia vtraque specie idem pignus gloriæ celestis conceditur. Sed præ omnibus apertius hanc vnitatem explicuit D. Thom. *q. 73. art. 2.* illam desumens non tam ex re significata, quam ex significatione. Etenim cum sacramentum in genere signi formaliter constituatur, necessarium Eucharistia vt vnum sacramentum sit, & non plura, vnicum signum completum, & perfectum esse debet, & non plura. Quod autem sic se habeat, probari potest ex eo quod Christus Dominus necessarius sub specie panis, & vini consecrandus videtur, vt perfectè, & expressè suum sacrificium crucientem significaret. Ergo ad hanc significationem quælibet ex his speciebus vt pars concurrat. Deinde, & præcipue, quia hoc sacramentum institutum est ad significandam gratiam sanctificantem animam non, vt cunque, sed per modum conuiuij, & cuiusdam spiritualis refectiois. At ad conuiuium, refectio nemque perfectam non tantum cibus, sed potus adesse debet. Ergo ad hanc significationem completam non tantum Christus sub speciebus panis, sed etiam sub speciebus vini adesse debet. Est igitur vnum sacramentum.

8. Neque obstat vocari Eucharistiam ab Ecclesia sacramenta, cum dicit. Purificent nos quesumus domine sacramenta, quæ sumimus. Quo modo loquendi vritur textus, in *cap. Sacramenta altaris de consecrat. dist. 1. c. in Sacramentis cap. comperimus, c. alia dist. 2.* At si Christus sub speciebus panis, & vini vnum tantum sacramentum constitueret, suscipiens vtramque speciem, non plura sacramenta, sed vnum tantum suscepisset, sicuti suscipiens baptismum, ordinem, Confirmationem, non plura sacramenta baptismi, ordinis, & Confirmationis suscipere dicitur. Itemque suscipiens vnam tantum speciem non sacramentum, sed partem sacramenti suscipiet. Non inquam obstat, quia sæpe parti conceditur denominatio totius, quando per se, & separatim consideratur, vt bene explicat Suar. *disp. 1. de Eucharist. sect. 2.* in partibus homogeneis, & in quantitatibus discretis. Vna enim propositio oratio est, licet possit esse pars alterius longioris, & perfectioris orationis, & vna pars domus, si sufficiens sit ad vnum, & finem domus seuincta ab aliis domus dici potest, licet cum aliis coniuncta domum perfectiorem componere possit. Ita sacramentum Eucharistiæ in vna specie, v. g. panis confectum, si per se consideretur, sacramentum verè, & propriè dici potest, quia est signum sensibile gratiæ sanctificantis, sed quia non est completum signum, sed partiale, eo quod gratiam sanctificantem completè per modum conuiuij non significat, quam significationem ex institutione habet, defectu significationis non est completum sacramentum, tamen completum sit quoad rem contentam, scilicet Christum, & quoad rem significatam, scilicet gratiam. Vnde cum Ecclesia appellat vtramque speciem sacramenta, de sacramentis partialibus intelligi debet, non de sacramentis totalibus, quia ratio est qui plures ordines susciperet, plura sacramenta dici posset suscepisse. Quod vero in aliis sacramentis non dicantur illorum partes sacramenta partialia, ideo est, quia per se sumptæ non sunt signum practicum gratiæ, sicuti in qualibet specie Eucharistiæ reperitur.

9. An autem vnum numero sit sacramentum, quod in plu-

ribus speciebus panis, & vini consecratis existit, an plura, non est constans sententia. Plures affirmant esse vnum numero sacramentum, si plures species panis, & vini simul ab eodem sacerdote consecrentur. Secus si diuerso tempore, vel à diuersis. Sic indicat Sotus in *4. dist. 8. quæst. vnica, art. 2. in tertia ratione.* Moueri possunt, quia eo casu est vnicum sacrificium, ergo & vnicum sacramentum. Ratio enim sacrificij à sacramenti constitutione non separatur. Alij censent plures species panis, & vini vnum sacramentum esse, si vnica sumptione sumantur. Sic tradit Bonac. *disp. 4. de Sacram. quæst. 1. pun. 4. num. 5. Ægid. de Coninch. quæst. 73. art. 4.* fauet Suar. *disp. 39. de Eucharistia sect. 4. circa finem.* Dicuntur primò, quia stante vna sumptione vnicum est conuiuium, ergo vnicum est sacramentum, quod per modum conuiuij animam reficientis institutum est. Secundo si sibi adessent plura sacramenta numero distincta, sumens plures species panis, & vini, plura sacramenta reciperet, & consequenter reciperet gratiam cuiuslibet Sacramento correspondentem, ac proinde abundantior, quam si vnica tantum specie panis, & vini reficeretur. Hoc autem est absurdum, ergo dicendum est vnicum esse sacramentum, si plures species panis, & vini vnica sumptione sumantur. Tertiò vnitas huius sacramenti (inquit Ægid.) non tam ex significatione, quam ex virtute causandi spirituales animæ refectio nem desumenda est. At hæc vnitas vnica est, quantumvis species multiplicentur, siquidem Christus, à quo hæc vnitas prouenit vnus est in omnibus speciebus, & fortè ob hanc causam Paul. *1. Corinth. 10.* dixit omnes nos vnum corpus esse, qui de eodem pane participamus. Quartò si verbum diuinum pluribus humanitaribus vniretur, non plures homines, sed vnus tantum resularet, quia ratio suppositi, quæ hominem præcipue constituit, vnica est. At Christus Dominus est, qui præcipue constituit Eucharistiæ sacramentum, species vero minus principaliter. Ergo quauis species multiplicentur, non obinde sacramentum multiplicandum est, cum Christus Dominus, qui sub ipsis continetur, multiplicationem non recipiat, sed vnitatem seruet.

10. Nihilominus verissimum censeo plures species panis & vini consecratas plura sacramenta numero distincta esse, tamen vnica actione consecrata fuerint, & vnica sumptione consumpta. Sic Valq. late probans *quæst. 73. art. 2. disp. 168. c. 2. num. 13.* Ratio est, quia quælibet species panis, & vini consecrata vt seuincta ab alia specie panis, & vini est sacramentum Eucharistiæ adoratione lætitiæ adorandum, & refectio nis spiritualis significatiuum, & causatiuum. Ergo est distinctum sacramentum, siquidem in hac significatione, & causatione adorationeque passiva à nulla alia specie panis, & vini consecrata dependet. Neque his obest, quod plures illæ species panis, & vini vnica actione fuerint consecrata, & vnica sumptione consumpta, quia consecratio, & consumptio extrinseca sunt huic Sacramento, neque illad componunt. Etenim consecratio sacramentum conficit, consumptio consumit. Ergo ex vnitate consecrationis, vel consumptionis vnitas sacramenti intrinseca desumi non potest.

11. Hinc facile est fundamentis aliarum opinionum satisfacere. Ad primæ opinionis fundamentum concedo vnica consecratione vnicum sacrificium confici, at non vnicum sacramentum numero, sed plura si plures sint species consecrata, quia ex diuerso capite vnitas sacrificij, & sacramenti desumitur. Vnitas sacrificij desumitur vel ex re oblata, vel ex oblatione, seu consecratione vt potè ratione formalis. Si ergo ex re oblata desumatur, vnica numero est, tamen à pluribus sacerdotibus, vel ab eodem pluries offeratur, quia est idem Christus. Quo sensu dixit Ambros. relatus in *cap. in Christo de consecrat. dist. 2.* eandem esse hostiam, quam Christus Dominus obtulit Patri, & quam omnes sacerdotes offerunt. Si vero ex oblatione vnitas numerica sacrificij colligenda sit, constat toties sacrificia multiplicari, quoties oblationes, seu consecrationes multiplicata fuerint. At vnitas sacramenti ex significatione practica gratiæ sanctificantis desumi debet, siquidem sacramentum in ratione signi practici formaliter constituitur. Cum ergo plures species numero distinctæ Christum continentes sint plura signa practica gratiæ sanctificantis, efficitur sanè plena sacramenta numero distincta esse. Ad secundæ opinionis fundamentum primum admitto esse vnicum numero conuiuium, si plures species consecrata vnica sumptione sumantur, nego tamen non sumi plura numero sacramenta distincta, quia ratio sacramenti conuiuium actuale præcedit, & consequenter ex conuiuij, seu sumptione neque vnitas, neque multiplicitas desumi potest. Neque inde fit sumèntè plura illa sacramenta abundantior gratiam recepturam, quæ si vnicè numero sacramentum reciperet, quia in communicatione gratiæ pendet sacramentum Eucharistiæ à sumptione. Cum ergo vnica numero sumptio est vnica gratia, omnibus illis sacramentis communicatur, & per hæc patet ad secundum. Ad tertium dico vnitatem Eucharistiæ ex significatione practica causandi gratiam desumi debere. Hæc autem significatio multiplex est pro multiplici-

tate specierum consecratarum, tamen Christi virtus vnica numero in se fit. Est enim in se vnica, sed in ratione signi practici multiplex, quia multiplici signo applicata est. Neque huic doctrinae aduerfatur Paulus affirmans omnes nos de eodem pane manducare, quia non loquitur de vnitate numerica sacramenti, sed specifica, vel intelligendus est de Christo sub speciebus panis contento. Ad quartum admissio gratis verbum diuinum pluribus humanitatibus vnicum vnicum numero hominem constituere, nego Christum Dominum pluribus speciebus contentum vnicum numero constituere Sacramentum: quia Christus Dominus non ratione sui praecise Sacramentum constituit, sed quatenus mediis speciebus est signum sensibile operatum gratiae sanctificantis. At multiplicatis speciebus necessario Christus quatenus est signum sensibile gratiae sanctificantis operatum multiplicatur. Ergo multiplicatur sacramentum.

PUNCTUM III.

De necessitate Eucharistiae ad salutem.

1. Est necessaria necessitate praecipi.
2. Plures censent tam adultis, quam paruulis necessariam esse Eucharistiam necessitate medij.
3. Contrarium verius est.
4. Proponitur obiectio ex Trident. Et sit illis satis.
5. Satisfit fundam. n. 2. adductio.

1. Certum est Eucharistiam necessariam esse necessitate praecipi non solum Ecclesiastici, sed diuini, de quo postea. Controuersia praesens est, an sit necessaria necessitate medij, seu finis. Illud namque necessarium est necessitate medij, quod per se, & positum medium est ad salutem animae comparandum, quodque dicitur necessarium necessitate finis, quia sine eo finis vitae aeternae obtineri non potest. At necessitatem necessitate praecipi praecise non est medium positum ad salutem obtinendam, sed est medium negatiuum, quia negat, & impedit, ne salus absente violatione praecipi amittatur.

2. Non desunt Doctores qui sentiant Eucharistiam, vel votum illius necessarium esse tum adultis, tum paruulis necessitate medij. Sic docent Henricus. *lib. 8. de Sacram. cap. 3. num. 2. & 3. Didac. Nunez quae. 73. art. 4. difficult. 2. concl. 2. & quae. 79. art. 3. ad 2. Pirigian. dist. 9. quae. 3. art. 2. consentit Caiet. *dicta quae. 73. art. 4. §. aduerte hic, Dominic. Sorus in 4. dist. 8. quae. vnica art. 3. quatenus affirmant votum Eucharistiae sufficere ad salutem, ipsum tamen necessarium esse indicat D. Thom. *dicta quae. 73. art. 4. inquit enim: Perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam; perceptio autem Eucharistiae est necessaria ad consummandam ipsam non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut & finis habetur in desiderio, & intentione. Mouentur primo, quia proprius effectus Eucharistiae est vitam spiritualem sumeantibus concedere, iuxta illud Ioann. 6. Ego sum panis vitae, qui manducat hunc panem viuet in aeternum, imo concedere vitam, sicut Pater Christo concessit. Inquit enim Christus; Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me viuet propter me. At Pater necessitate Filio vitam concessit, ita vt alia via vitam obtinere non poterit. Ergo vt nos viuamus propter Christum necessarium est, vt manducemus, neque alia via poterimus vitam obtinere. Et forte, ob hanc causam dixit, Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quo loquendi modo vnus est Christus ad significandam baptismi necessitatem. Ioann. 3. cum dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Ergo Eucharistia aequae est ad vitam necessaria, sicut baptismus. Secundo plures Patres negant aliquem saluari posse, & immortalitatem consequi, qui particeps non fuerit Corporis, & Sanguinis Christi. Sic August. *lib. 1. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 22. & alibi. Cyrill. Alexand. lib. 10. in Ioann. cap. 13. Greg. Nyssen. in orat. de Eucharist. At plures tum paruuli, tum adulti saluantur, & immortalitatem obtinent, quin re ipsa particeps fuerint Sacramenti corporis, & sanguinis Christi. Ergo latere per votum illius particeps esse debent. Quod si iniquitas qualiter paruuli votum Eucharistiae habere possint, cum propria voluntate careant; Respondent praedicti doctores non habere votum formale, & explicitum, sed implicitum, & virtuale in baptismo susceptum. Ob cuius causam concedit Deus infanti perseverantiam in gratia morte praematura antequam malicia mutet intellectum eius.****

3. Ceterum omnino tenendum est neque paruulis, neque adultis Eucharistiam, aut illius votum (si proprie sumatur) esse necessarium necessitate medij ad vitam aeternam consequendam. Sic Valen. *rom. 4. dist. 6. quae. 1. pen. 5. Aegid. de Coenach. quae. 73. art. 3. dist. vnica conclus. 1. & seqq. Vajq. *dist. 169. cap. 3. Bonac. dist. 4. de Sacram. quae. 1. pun. 3. Paul. Lammann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. quae. 1. Et quidem paruulis non esse Eucharistiam in re susceptam necessariam docuit Trident. *sess. 21. can. 1. iis verbis: Si quis dixerit paruulis antequam ad annos, discretionis peruenierit necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit. Quod vero illius votum non fuerit illis necessarium, imo nec possibile inde probatur, quia ipsi carent rationis vlt, qui ad votum, seu voluntatem propriam necessarius est. Quod si dicas inde solum probari votum explicitum Eucharistiae non esse illis necessarium, non tamen probari votum implicitum contentum in baptismo illis necessarium non esse? Obstat quia baptismus non est votum Eucharistiae, potius quam cuiuslibet praecipi diuini, & Ecclesiastici. Vnde enim constat in baptismo specialiter votum Eucharistiae contineri, aut aliud propositum praeter obligationem seruandi diuinam, & Ecclesiasticam legem. Adde baptismum ex se sufficientem esse ad remittendum paruulis originale peccatum, & consequenter ad gratiam conferendam. Quod vero in ea gratia suscepta paruulus moriatur, neque voto Eucharistiae, quod fictitium est, tribui debet, sed specialis Dei prouidentiae, ob quam praematura mors paruulis antequam peccatis conquirentur succedit.***

Quod vero adultis neque Eucharistia, neque votum illius necessarium sit necessitate medij inde proba, quia neque est necessarium medium ad gratiam obtinendam, neque ad perseverandum in illa. Ergo nullatenus est medium necessarium. Et in primis ad gratiam obtinendam non esse necessariam Eucharistiam, vel votum illius colligitur manifeste ex eo quod, pro peccatis ante baptismum solus baptismus sufficit ad illorum remissionem, & gratiae consecutionem, pro peccatis vero post baptismum sola penitentia. Nequit ergo Eucharistia, vel votum illius esse necessarium ad gratiam. Et confirmo, adultus media attritione Sacramentum penitentiae suscipiens gratiam consequitur nullo voto elicto Eucharistiae distincto ab eo propositum, quod in attritione vel contritione imbibitur seruandi omnia mandata. Qualiter ergo Eucharistia, aut votum illius esse potest necessarium? Item Eucharistia instituta est ad augendam gratiam, perficiendamque vnitatem, quam medio baptismo, seu penitentia cum Christo consequimur. Cap. *firmiter de summa Trinit. cap. cum Martho de celebrat. missarum*, supponit ergo nos esse gratos, & Christo per charitatem vnitos. Item est instituta in spiritualem cibum, quo alantur, & confortentur viuentes in vita illius qui dixit. Qui manducat me, ipse viuet propter me. Sicut docuit Trident. *sess. 13. c. 2. Non ergo tribuit vitam, sed illam supponit. Ergo Eucharistia, aut votum illius non est medium ad salutem animae necessarium, si enim votum Eucharistiae ad salutem esset medium necessarium, ipsa Eucharistia instituta esset non ad perficiendam vitam, sed ad illam primo concedendam. Sicut cernitur in voto baptismi, & penitentiae, quorum votum saltem necessarium est quia ad vitam concedendam sunt illa sacramenta per se instituta. At Eucharistia per se non est instituta ad gratiam, & vitam spiritualem communicandam, sed ad illam perficiendam. Ergo votum Eucharistiae esse non potest medium necessarium ad gratiam. Item votum Eucharistiae loco Eucharistiae suscipere subrogatur, sed Eucharistia suscepta non est medium vitae concedenda, sed perficienda, quia ex se ad remittenda peccata instituta non fuit, ergo a fortiori nec votum Eucharistiae erit medium necessarium ad vitam. Quod autem Eucharistia, vel votum illius non sit necessarium medium ad perseverandum in gratia probatur manifeste, quia recepto cum debita dispositione baptismo, vel poenitentia, potes in amentiam perpetuam incidere, vel statim decedere. Ergo illa decessio in gratia finali non Eucharistiae, quae recepta non fuit, neque voto illius quod factum non est, tribui debet, sed diuinae prouidentiae sic res disponit. Quo enim fundamento quis dicere poterit illam perseverantiam finalem ad contritionem quatenus est votum Eucharistiae suscipiendae, si viueres, prouenire? Eadem enim ratione dicere posset prouenire illam perseverantiam ex contritione, quatenus est votum exequendi quodlibet praecipi quouis & Ecclesiastici. Et videtur amplius casu quo moriturus suscipisset Eucharistiam, & illa suscepta peccates, mortaliter, obligatus quidem esses conficere, non tamen iterum Eucharistiam suscipere, quinimo posses nolle suscipere, quod stare non posset, si Eucharistia, vel votum illius esset necessarium ad finalem perseverantiam, siquidem eo casu neque Eucharistia suscipitur, cum possit, nec votum illius haberetur.*

4. Sed obicitur ex Trident. *sess. 13. cap. 2. Eucharistia est cibus, quo alimur, & confortamur, ac cibus corporalis ad conferendam vitam corporalem necessarius est, ergo Eucharistia necessaria erit ad vitam corporalem conferendam. Item est antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a mortalibus peccatis. At perseverantiam consistit in praeservatione a mortalibus peccatis, ergo Eucharistiae tribuenda est*

hac

hæc perseverantia. Neque inde fit quemlibet recipientem ritè Eucharistiam perseverantem in gratia, sed neminem in gratia perseverantem, cui propter Eucharistiam, vel votum illius perseverantia non concedatur.

Respondeo concedendo Eucharistiam esse cibum, quo alimur, & confortamur in vita spirituali, nego tamen ad conservationem vitæ spiritualis esse æquè necessarium, ac est cibus materialis corporali vitæ. Tum quia corporalis vita paulatim diminuitur, quæ si cibo non reficeretur, omnino periret. Secus vero spiritualis vita, quæ integra perseverat, donec omnino per peccatum mortale deperdat. Tum quia Eucharistia non est vnicus cibus, quo vita spiritualis conservetur, cum plures alij adsint, nempe oratio, ieiunium, elemosyna, & cuiusvis alterius virtutis exercitium. Quapropter esto cibus spiritualis ad conservationem vitæ spiritualis necessarius esset, sicut materialis ad conservandam corporalem vitam, nullatenus inferret Eucharistiam necessariam fore. Eodem modo intelligi debet esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservamur: est enim medium convenientissimum ad hunc effectum, sed non simpliciter necessarium, cum alia via obtineri possit. Adde non obtineri infallibiliter, & efficaciter hæc à mortalibus præservationem per Eucharistiam, aliis Eucharistia semel ritè suscepta confirmaret suscipientem in gratia. Sed obtinetur hæc præservatio effectivus quam oratione, elemosyna, alteriusque virtutis exercitio. Afirmare autem nemini perseverantiam concedi nisi ob Eucharistiam susceptam, vel illius suscipiendæ votum, nullo nititur fundamento, quod amplius constabit ex solutione rationum, quibus Doctores num. 2. adducti movebantur.

5. Ad primum admitto Eucharistiam esse panem vitæ. Tum quia vitam supponit. Tum quia vitam spirituales perficit. Item admitto ritè suscipientem vivere in æternum propter ipsum quatenus est ex parte sacramenti. Vita enim spiritualis ex se æterna est. Cum vero vigeret manducantem Eucharistiam vivere propter Christum, sicut Christus vivit propter patrem, intelligi non debet comparatio quoad necessitatem, sed quoad dependentiam, seu participationem. Ita vt fit sensus. Sicut Christus vitam quam habet à patre accepit, & propter ipsum vivit, sic manducans ritè Eucharistiam, à Christo vitam accipit, & propter ipsum vivit. Sed non inferendum alia via, quam Eucharistia susceptione vitam haberi non posse. Sunt enim plura alia media, quibus Deus vitam, illiusque augmentum hominibus communicat. Ad Christum à nullo alio nisi à Patre vitam accipere potest. Neque his obstat locus Ioannis 3. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, &c. hæc enim verba non necessitatem medij determinat, sed necessitatem medij, vel præcepti inferunt. Si enim applicentur materia ad remissionem peccati per se instituta, inferunt necessitatem medij, vt in baptismo contingit: si applicentur materia, quæ per se instituta non est ad remissionem peccati, sed ad gratiæ augmentum, necessitatem solius præcepti inducere possunt. Sicuti constat ex illis Christi verbis Matth. 18. Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum celorum, quo loco humilitas commendatur.

Ad secundum respondeo, cum sancti Patres asserunt neminem saluari, neque immortalitatem consequi, nisi fuerit particeps corporis, & sanguinis Christi, intelligendi sunt non de participatione reali per sacramentum, aut votum illius, sed de participatione mystica, quæ est per charitatem, vt explicuit August. tract. 26. in Ioann. Hunc (inquit) cibum, & potum, societatem vult intelligi corporis, & membrorum, quod est Ecclesia. Et paulò inferius. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, vel intelligendi sunt de convenientia, non de necessitate, sicuti explicuit Valq. disp. 169. cap. 4. quasi diceret neminem alia via convenientiori, & aptiori suscepto baptismo, vel penitentia vitam æternam, & immortalitatem corporis consequi posse, quam Eucharistia susceptione.

PUNCTUM IV.

Quæ sit materia remota consecrationis.

1. Panis, & vinum est materia remota Eucharistia.
2. Panis debet esse triticus.
3. Consecrari debet aqua naturali.
4. Esse ærum, vel fermentatum non est de necessitate Sacramenti, bene tamen de necessitate præcepti.
5. Ob nullam gravem proximæ necessitatem omitti potest hæc obligatio.
6. Materia Sacramenti sanguinis est vinum de vite.
7. Debet esse ex vitis expressum.
8. Vinum congelatum materia est consecrationis, tamen si alij contrarium sentiant.
9. Actum non est materia.
10. Neque sapa, nec lora, &c. 10.

1. Panem, & vinum materiam esse venerabilis huius sacramenti definit Concil. Lateranen. in cap. firmiter de summa Trinit. & fide Cathol. & Florentin. in decreto fidei post vlt. sessionem, §. tertium est sacram. & Trident. sess. 13. cap. 1. & alius, & colligitur ex Math. 26. Marco 14. Luca. 22. Pauli 2. ad Corinth. 11. iuncta Ecclesie praxi, & perpetua traditione. Congruentia huius institutionis desumi debent ex dignitate tanti sacramenti, & ex eius effectibus: dignitati namque sacramenti maxime decet ex pane, & vino confici, vt sic omni munditie, & puritate qua fieri potest sacrificium incrementum constituitur, aptissimeque sacrificium eruentum in ara crucis oblatum repræsentetur, aptissimeque denoteret conuiuium, quod nobis Christus Dominus in hoc venerabili sacramento parat. Deinde congruit effectibus huius sacramenti significandis, denotat enim expressè vnionem, quam fideles medio hoc Sacramento inter se habent, & cum suo capite Christo. Non secus ac ex pluribus granis vnicus panis, & ex puribus vuis vnicum vinum conficitur. Et sicut panis nutrit, & vinum lactificat, & vtrumque vires reficit, & lumentem confortat, sic hoc diuinissimo Sacramento suscipientes aluntur, confortantur, & læticiam spirituales accipiunt, & in spiritu recreantur.

2. Panis materia huius sacramenti necessaria debet esse triticus, quia hic solus est, qui absolute, & simpliciter panis nuncupatur, alij cum addito. Colligitur manifestè ex Florent. concil. loco allegato, & ex praxi, & traditione Ecclesie. Quocirca panis ex mylo, maya, castaneis, leguminibus confectus nullatenus est materia, quia non est panis vsualis, & tradunt omnes. Ex hordeo, oriza, & farre Gabr. lib. 35. in canon. missæ affirmat tanquam probabile esse materiam consecrationis, eo quod concilia non desinierint solum panem ex tritico confectum esse materiam, vt videre est in his, quæ refert Gratian. de consecrat. dist. 2. cap. cum omni crimini & aliis. At frumentum comprehendit quamlibet speciem grani habentem aristas, teste Plinio, lib. 18. histor. cap. 7. Varro. de re rustica. cap. 48. Isidoro lib. 17. etymol. cap. 3. Ergo panis ex omnibus illis confectus est materia. Sed contrarium omnino dicendum est, quia esto ante Eugen. IV. concilia non satis expresserint qui panis consecrationi necessarius fuerit, at Eugen. IV. in decreto illo fidei §. tertio aptissime definiuit solum panem triticum consecrationi deservire posse. Cum autem hordeum, auena, oriza, & far non censentur communi hominum æstimatione triticum, sed aliæ species frumenti longè inferiores, efficitur omnia illa materiam non esse consecrationis. Typha Græcè, Latine Blatha, Hispanè Zenteno. S. Thom. quest. 73. art. 3. ad 2. affirmat materiam esse, quia existimat esse triticum aliquater degeneratum. Contrarium verius reputo, quia esto aliquando ex tritico datum fuerit. At ob debilitatem retrahit in alteram speciem mutari potuit, & sic est censendum. Valq. disput. 170. cap. 3. num. 21. Idem est dicendum de auena, seu spelta, quamvis aliquibus placeat triticum esse, vt videre est apud Sorum in 4. dist. 9. art. 3. Egid. de Coninch. quest. 73. art. 3. num. 52. Amylon, quod ex tritico madefacto, & expresso conficitur, tamen si versum sit in farinam aptum non est, vt consecrationi deserviat, sicuti probabilior sententia tenet apud Valq. disput. 170. cap. 4. num. 23. Egid. cum D. Thom. quest. 73. art. 3. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. num. 8. contra Bonac. & alios ab eo relatos. disput. 4. quest. 2. part. 1. num. 7. Quia per illam tritici madefactionem non leuiter triticum corrumpitur, & quasi in alteram substantiam mutatur, ideoque panis inde confectus vsualis non est. Illud vero est certum ex omnium sententia esse grauissimum peccatum in pane ex his seminibus confecto consecrare, quia saltem est dubia materia.

3. Præterea panis triticeus consecrationi deserviens debet ex aqua naturali confectus esse, & igne tostus, quia hic est panis vsualis. Vnde confectus ex melle, lacte, oleo, aqua rosacea, vel simili consecrationi ineptus est, quia non est panis vsualis, sed placenta, vt bene D. Thom. quest. 74. art. 7. ad 3. Egid. de Coninch. art. 3. n. 48. Valq. disput. 170. cap. 4. num. 25. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 3. Bonac. disput. 4. quest. 2. part. 1. num. 3. Similiter malla antequam igne torreatur, à sacramenti materia deficit, quia esto non differat specie à pane cocto, differt tamen à ratione panis vsualis, qui fuit à Christo pro materia huius sacramenti institutus. Sic D. Thom. Bonac. Laymann. Valq. Egid. & alij locis citatis. Quod si triticeis granis alia diuersa miscerentur, vel aqua naturalis, mel, lac, & ex ea mixtione panis conficiatur, considerandum est, an extranea materia narium superet, nam eo casu mixtum consecrationi ineptum est, at si propria materia extraneam vincat, aptum erit mixtum consecrationi validæ, quia absolute panis est vsualis: graue tamen peccatum consecrans committere aduersus puritatem debitam huius Sacramento, & illius institutionem 3. Sic tradunt D. Thom. quest. 74. art. 3. ad 3. & ibi. Egid. de Coninch. num. 55. Valq. disput. 170. cap. 4. num. 26. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. vers. denique. Bonac. disput. 4. de Sacram. Eucharist. quest. 2.

part. 1. num. 4. Ob eandem causam peccatum graue erit consecrare in pane, qui iam incepti transmutari, & corrupti, sicut in vino, quando incepti accedere, docuit D. Thom. qua. 74. art. 7. ad 3. Henric. lib. 8. de Eucharist. cap. 9. Bonac. disp. 4. quest. 2. pun. 1. num. 5.

4. Verum quod panis triticus debeat esse azimus, aut fermentatus non est de necessitate sacramenti, ut definitur expressè Concil. Florent. in decreto de Armenis, §. seruo in Eucharistia. Vterque enim panis est uisualis, conuenientior tamen est azimus, quam fermentatus, ut docuit D. Thom. quest. 74. art. 4. tum ob significandam puritatem Corporis Christi, quod sine opera uiri conceptum est, tum ob denotandam puritatem, qua hoc Sacramentum recipi debet. Tum præcipue, quia probabilior, & ferè certa sententia fert Christum Dominum in azimo consecrasse, siquidem post vltimam agni paschalis, in quo non licebat pane uti fermentato, hoc Sacramentum instituit. At de necessitate præcepti Sacerdos Ecclesie Latinæ in Ecclesia Latina tenetur in azimo consecrare, Græcus vero in Ecclesia Græca in fermentato, ut expressè tradidit Concilium Florentin. dicto decreto. §. 2. Definitum (inquit) in azimo, siue fermentato pane tritico Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alteruto ipsum Domini corpus conficere debere vnumquemque iuxta Ecclesie suæ siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem, & notauit D. Thom. quest. 74. art. 4. Quod adeo verum est, ut Sacerdos Latinus transiens per Ecclesiam Græcam, & Græcus per Ecclesiam Latinam retinere suæ Ecclesie consuetudinem possit, consuleus tamen faceret, si illius Ecclesie, qua transit, ritus obseruet, sicuti multis allegatis probat Bonac. dicta disp. 4. quest. 2. pun. 1. num. 9. & latius Agid. de Coninch. q. 74. art. 4. dub. 2.

5. Adde Sacerdoti Latino in Ecclesia Latina licitum non esse uti fermentato, neque Sacerdoti Græco in Ecclesia Græca, etiam si populus diu deberet sacrificio priuari, & proximus absque viatico decedere, quia utilitas communis priuatis commodis præferri debet. At ad utilitatem communem Ecclesie pertinet ritus præscriptos in sacramentis consueuendis obseruare. Ergo hæc utilitas cuiuslibet alteri utilitati præferenda est. Adde præceptum communicandi in articulo mortis, & audiendi sacrum diebus festiuis neminem obligare, nisi quando sacrificium fieri potest seruatis legibus, & ritu ab Ecclesia præscripto. Sic Sotus in 4. disp. 9. art. 4. Suar. disp. 44. sect. 3. in fine & sect. 4. concl. 2. & disp. 76. sect. 5. dub. 2. Henric. lib. 8. cap. 11. n. 7. Bonac. disp. 4. q. 2. p. 1. num. 11. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. capit. 2. vers. altera pars.

6. Materia sacramenti sanguinis est vinum de vite, & nullum aliud, colligitur ex Mathæi 26. Luca 22. iuncta Ecclesie traditione, definitumque est in Concilio Florent. decreto fidei §. tercio & supponitur in Trident. sess. 13. cap. 1. & 2. Unde liquores expressi ex pomis, & malis granatis nullatenus consecrationi deferuire possunt, quia non sunt vinum absolute, & tradunt omnes.

7. Hoc vinum debet necessario esse ex uuis expressum. Nam dum liquor intra vnam est per se potari non potest, sed potius comedi, neque signo hic demonstrari potest, cum non sit sub uuis, ut totum quoddam, sed ut pars in toto, neque est aptus, cui aqua miscetur. Sic D. Thom. quest. 74. art. 5. & ibi. Agid. numer. 123. Valq. disp. 175. num. 11. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 4. Suar. disp. 45. sect. 1. Bonac. disput. 2. de Sacram. quest. 2. pun. 2. num. 9. & alij plures apud ipsos. Liquor vero expressus ex uuis maturis, sed non defæcatus, quique multum communiter appellatur, materia est consecrationis, quia absolute est vinum, sed non est decens, ideoque absque vrgenti causa graue peccatum esset ea uti materia ad consecrationem. Colligitur cap. omne crimen de consecrat. dist. 2. & tradit Valq. dicta disp. 175. cap. 1. num. 7. Suar. disput. 45. sect. 1. vers. tercio. Agid. quest. 74. art. 5. num. 124. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 5. Bonac. disp. 4. quest. 2. part. 2. num. 3. Notanter dixi ex uuis maturis, nam liquor expressus ex immaturis, quique Agresta nuncupatur, cum naturam vini consecutus non fuerit, à materia consecrationis excluditur Sic D. Thom. receptus ab omnibus. quest. 74. art. 5. ad 3.

8. Vinum congelatum aliqui censent ineptam consecrationi esse materiam. Sic Ledes. 1. p. quart. q. 15. art. 5. dub. 1. Alanus lib. de Eucharist. cap. 11. At nulla verbo Eucharistia num. 19. Angles in 4. p. 1. de essential. Eucharist. art. 3. difficult. 3. Mouentur, quia vinum congelatum potabile non est, ergo esse non potest materia consecrationi. Hac enim ratione inclusum in uuis diximus ineptum consecrationi esse, & aquam congelatam ineptam materiam baptismi, quia inepta est ablutioni. Cum ergo vinum congelatum ineptum sit potationi, & consecrationi ineptum esse debet. Nihilominus probabilius est vinum congelatum materiam consecrationis esse (nisi aliquando ob congelationem substantia vini corrumperetur, quod in communi congelatione censendum non est.) Sic Syluest. verbo Eucharistia 2. quest. 10. num. 15. Sotus in 4. disp. 9. art. 5. Suar. disp. 41. sect. 1. circa finem. Agid. de

Coninch. quest. 74. art. 5. num. 126. Bonac. disp. 4. quest. 2. part. 2. num. 10. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 5. in quarta aduertentia. Ratio est, quia vinum congelatum per se est potabile, etiam per accidens potari non possit. Quod secus accidit in uino incluso in uuis, quod per se est comestibile, non potabile. Consecrationem autem non impedit quod vinum ex aliquo accidenti actu potari non possit, si per se potabile sit, quia Eucharistia non in potatione, sed in re, que potanda est consistit. At quia congelatio impedit ablutionem, in qua essentia baptismi consistit, ea de causa aqua congelata baptismi inepta est, non autem vinum congelatum consecrationi. Et forte ob hanc causam Pius V. in Rubrica Missalis de defectibus Missæ §. in hyme statuit, si post consecrationem vinum congelatum fuerit, igne liquefieri, & absumi, manifestè supponens ob congelationem species vini consecrationi aptas non corrupti. Fatentur tamen ferè omnes doctores relati graue esse peccatum, si in vino congelato consecratio fiat, quia dubia est materia. At si prius fuerit congelatum, & postea liquefactum, non est improbabile licite consecrari, quamuis minus decet, quia est verum vinum, & actuali potationi aptum, sed congelatione aliquo immutatum. Sic Suar. disp. 45. sect. 1. in fine. Agid. de Coninch. q. 74. art. 5. in fine.

9. Acetum esto ex vino fiat, nullatenus est materia consecrationis, quia in aliam naturam à vino est transmutatum, ideoque Pius V. Rubrica de defectibus in Missa occurrentibus, præcipit Sacerdoti reperenti tempore consumptionis in aceto consecrasse, ut vinum apponatur, & denuò consecret. Et Gregor. XIII. imperator deleri Glossam in cap. 2. de consecrat. dist. 2. affirmantem acetum esse consecrationis materiam. Quod si Hidor. lib. 8. etymolog. c. 3. & Innocent. III. lib. 4. de sacrific. Missæ c. 30. alique Doctores dixerint acetum esse materiam consecrationis, intelligendi sunt non de aceto perfectio, sed de vino acido, qui ad acetum pergit, eo tamen uti ad consecrationem extra necessitatem peccatum est, & quidem graue, si ita aceti naturæ proximum sit, ut merito dubitetur, an vini qualitates amiserit. Viald. de Eucharist. cap. 3. num. 4. Victoria eadem conclus. 59. Pitigian. distinct. 11. quest. 7. conclus. 6. Valq. 3. part. disput. 175. cap. 2. in difficult. Bonac. disp. 4. p. 2. num. 5. Agid. quest. 74. art. 5. n. 122. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 5. vers. aduerte secundò. Suar. disp. 45. sect. 1. vers. quarto.

10. Sapa Hispanæ arropis à materia consecrationis excluditur, quia in aliam naturam à vino creditur esse conuersum. Et idem est censendum de vino cocto, Hispanæ Aqua ardiante. Sic pluribus firmat Bonac. disp. 4. de Sacram. quest. 2. p. 2. n. 5.

Lora Hispanæ Aguapio, quod ex uuis iam expressis mixta aqua consecretur, nullatenus est materia consecrationis, ut communiter fit, quia non est vinum, sed aqua temperata erit tamen materia, si in minima quantitate mixtio contingat. Illud certum est esse graue peccatum in ea consecrare. Sic sustinet Suar. 3. p. disp. 45. sect. 1. vers. Sic uero, Valq. disp. 175. cap. 1. num. 8. Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 2. num. 7. & alij communiter.

P V N C T V M V.

De mixtione aquæ pro consecratione Calicis.

1. Obligatio est miscendi aquam vino ante consecrationem.
2. Non ex necessitate sacramenti, sed præcepti.
3. Ex præcepto diuino miscendam esse plures firmant.
4. Probabilius est ex solo Ecclesie præcepto.
5. Fit satis oppositis fundamentis.
6. In qua quantitate hæc mixtio faciendâ sit.
7. Tempore sacrificij, & ante ablutionem est faciendâ.
8. Preponitur questio, an aqua, qua tempore consecrationis in vinum conuersa non est, in sanguinem Christi immediatè conuertatur, sicuti conuertitur vinum.
9. Affirmant plures, & quibus probent.
10. Contrarium ut probabilius defenditur.
11. Diluuntur opposita fundamenta.

1. **A**quam vino consecrando miscendam esse ex perpetua Ecclesie traditione docuit Florent. conc. in litteris vniuersis, & Trident. sess. 22. cap. 7. & pluribus exornat Valq. disp. 176. cap. 1. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 10. & 11. Suar. disp. 45. sect. 2. Congruentia huius mixtionis triplex est, ut colligitur ex S. Thom. quest. 74. a. 6. Et Innocent. in cap. Cum Maribus de celebrat. missar. & Iulio Pontifice, cap. cum omne de consecrat. dist. 2. Sed præcipue ex Trident. sess. 22. cap. 7. Prima quod Christum Dominum ita fecisse credatur. Secunda quia è lacere eius aqua simul cum sanguine exierit in testimonium plenæ ablutionis nostrorum peccatorum per merita Christi, quod Sacramentum hæc mixtione recolitur. Tertia ad significandam vniuersitatem populi fidelis cum suo capite Christo

Christo, Etenim per aquam populus significatur iuxta illud Apoc. 17. aqua multa: populi multi.

2. Hanc aquam miscendam esse non ex necessitate Sacramenti, sed præcepti aperte denotat Florentin. Concilium affirmans materiam huius venerabilis sacramenti esse panem triticum, & vinum de vite. Si autem vinum necessario esse deberet aqua mixtum, sicuti debet esse oleum mixtum balsamo pro materia confirmationis, concilium assignans huius sacramenti materiam exprimeret esse vinum aqua mixtum, sicuti expressit in oleo pro materia confirmationis. Neque huic veritati obstat, quod Christus Dominus in vino aqua mixto consecraverit, inferamus necessarium aquam vino esse miscendam. Non enim omnia, quæ Christus Dominus in consecratione servavit, sunt de sacramenti necessitate. Alias solus panis azimus, & non fermentatus esset materia consecrationis, & vinum album, vel nigrum, siquidem vnum è duobus necessarium electum fuit. Sed illud est Sacramento necessarium. Quod ad veritatem formæ necessarium fuerit, quodque Christus Dominus pro Sacramento conficiendo præcipuerit. Ut latius probat D. Thom. *quæst. 74. art. 7.* Quod vero Cyprian. *epist. 63. ad Cæcilium, alias lib. 2. epist. 3. post. medium dixerit*: In sanctificando calice offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest, intelligi debet quod non possit licite, & convenienter vnum sine alio offerri. Cum verò subdit: Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo Corpus Christi non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, non ita est accipiendum, ut sicut sola farina, aut sola aqua consecrari valide non possit, ita nec solum vinum consecrari possit, quia id falsum est, & contrarium ipsius Cypriano dicenti. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, id est sine eo quod significet vniorem nostram cum Christo, sed est ita accipiendum, ut sicut farina sola, aut aqua sola non potest licite consecrari, sic nec solum vinum. Non enim comparatio est de valore actus, sed de licito illius usu.

3. Sed ex quo præcepto, an diuino, an Ecclesiastico tantum hæc mixtio faciendâ sit? Non est ita certum. Plures, grauesque doctores nec improbabiler affirmant ex præcepto Christi per Apostolos tradito hanc fieri mixtionem. Sic Alfonso de Castro *heresi. 7. verbo Eucharistia Valent. disp. 6. quæst. 2. pun. 1.* Henric. *lib. 8. cap. 12. num. 4.* & alij relati à Valsq. Azor. Suar. & alijs itam referendis. Fundamentum præcipuum sumitur ex aliquibus conciliis, & Patribus indicantibus hanc traditionem à Christo Domino emanasse. Nam Concilium Carthaginense *3. can. 24.* & Africanum, *can. 4.* dicunt, In sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, & hoc est panis, & vinum aqua mixtum. Sentiant ergo Christum Dominum tradidisse vinum esse aqua miscendum. Item concilium Aurelianense *4. cap. 4.* docens aquam esse vino miscendam subdit: Quia sacrificium iudicamus aliud offerri, quam in mandatis Iacratissimi Saluatoris instituit. Cyprian. *epist. 63. quæst. 3. lib. 2.* expressis verbis mixtionem aquæ appellat, tum Dominum præceptum, tum Dominicam traditionem. Neque his repugnat Trident. *sess. 22. c. 7.* & Florent. *in decreto de Armenis §. 3.* affirmans ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem faciendam esse, quia id verum est, tamen etiam ex Christi præcepto faciendâ sit. Concilia enim præceptum Ecclesiasticum, utpote omnino certum declarant, à declaratione diuini utpote incerti abstinerunt.

4. Nihilominus verius existimo solum ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem esse faciendam. Sic pluribus firmant Valsq. *disp. 177. cap. 2.* Suar. *disp. 45. sect. 2.* Egid. de Coninch. *quæst. 74. art. 7. n. 135.* Bonac. *disp. 4. quæst. 2. p. 4. n. 1. vers. dixi.* Moueoz ex Trident. & Florent. dicentibus, ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem haberi, in quo satis indicantur non ex Christi institutione. Nam est Ecclesiæ præceptum possit obseruandum id ipsum, quod Christus præcepit, incongrue tamen iudicatur ab ea obligationem oriri, cum præcipua obligatio ex Christi præcepto nascatur.

5. Dicta verò concilij Carthaginense, Africani, & Aureliani facilem habent explicationem. Fateor inquam verissimum esse in sacrificio nihil aliud esse offerendum præter id quod Christus Dominus, tradidit, scilicet panem, & vinum aqua mixtum. Sed inde non inferat tradidisse aquam esse vino miscendam, sed nullum alium liquorem præter vinum aqua mixtum esse offerendum. Cyprianus vero, & alij Patres ideo hanc mixtionem appellant Dominicam præceptum, seu Dominicam traditionem, quia est traditio, & præceptum ob factum Christi impositum, & ad illius imitationem.

6. In qua autem quantitate sit aqua vino miscenda, certum est in minori quantitate misceri debere: aliâs mixtum æquæ aqua, ac vinum esset. Habetur expressè. *cap. perniciosus de celebrat. missar. & congruit ratio, quia vino virtus, & maiestas Christi significatur, quæ necessario superare debet fragilitatem populi aqua significatam, & forte ob hanc rationem, cum aqua miscetur, benedicitur, non item vinum, quia fragilis homo ex Christi virtute utpote potentiori robur*

accipit, & ex vniore cum Christo facitur. Concilium Tridentense, quod prouinciale fuit, neque approbatum, can. 19. permittit tertiam partem aquæ apponi: Fortè illo tempore, & in ea regione ob qualitatem vini potuit esse licitum: At Concilium Florent. in decreto illo *fideli. §. 3.* expressè dicit modicissimam aquam esse miscendam. Tertia autem pars modicissima non est, ideoque Romanæ Ecclesiæ consuetudo, & praxis seruanda est, quæ octies, vel decies plus vini apponit, tamen ut aduertunt doctores communiter, non fit in hac parte scrupulosè agendum.

7. Hæc mixtio necessario faciendâ est tempore sacrificij ab ipso Sacerdote, vel de eius licentia, & facultate à Diacono, vel Subdiacono in missis solemnioribus. Quia sacrificanti præcipitur hæc mixtio, ut cæremonia quædam sacra ad sacrificium pertinet, tum ob vnitatem Christi, tum ob significationes, quas habet. Cui præcepto nullatenus faceret satis, si vinum aliâs mixtum offerret & tradit D. Thom. *q. 74. art. 8. ad 3. Egid. de Coninch. ibi num. 141.* Valsq. *disp. 177. c. 2. num. 18.* Bonac. *disp. 4. quæst. 2. punct. 4. num. 4. & 5.* Adde tenentem Sacerdotem non solum tempore sacrificij hanc mixtionem facere, sed ante oblationem, aliâs grauitè peccabit contra Ecclesiæ consuetudinem. Suar. *disp. 45. sect. 3.* Bonac. *num. 5.* Egid. *num. 142.* Quod si ex obliuione, aut negligentia mixtionem omiserit, & id aduertat Sacerdos ante factam consecrationem, debet necessariò eam facere, quia adhuc vrget præceptum miscendi aquam vino, & eandem significationem hæc mixtio habere poterit, sicuti si ante oblationem esset facta. At si facta consecratione Sacerdos aduertat aquam non esse vino mistam, nullatenus est miscenda, quia sanguini Christi nihil extraneum misceri debet, & præceptum solum erat de miscenda aqua vino, non item sanguini Christi. Suar. *dicta disp. 45. sect. 3.* Egid. *q. 74. art. 8. n. 142.* Bonac. *disp. 4. q. 2. par. 4. n. 5.*

8. Superest grauisissima quæstio, an aqua quæ vino miscetur in sanguinem Christi conuertatur? Et quidem si tempore consecrationis fuerit in substantiam vini transmutata, nemini potest esse dubium in sanguinem Christi conuerri. Quare controuersia solum est, an eo calu, quo in vinum transmutata non fuerit, permaneat in sua substantia, vel in sanguinem Christi conuertatur? Possè autem contingere tempore consecrationis aquam non esse in vinum conuersam constare, vel quia vinum ita debile est, ut eo breui tempore aquam transmutare non possit, vel quia Sacerdos immodicam quantitatem aquæ miscuit, esto vini quantitate minorem, vel quia ob defectus in missa occurrentes facta mixtione statim calicem consecrauit.

9. Plures graues doctores censent illam aquam, sicut & vinum immediatè in sanguinem Christi conuerri. Sic Cardin. Aiaz. *lib. 1. de Sacram. cap. 13.* Baron. *10. 12. anno 1188.* Ep. an. 1192. Tolet. *lib. 2. cap. 25. num. 4.* Scortia *de missa sacrific. lib. 4. cap. 1. num. 13.* Ianfenius *in concord. cap. 131.* Alexand. Pellan. *3. p. q. 74. art. 8. disp. 2.* Egid. de Coninch. *duob. v. num. 144.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. num. 9.* Moutenur prius grauissimorum Patrum autoritate asserunt aquam vino permixtam offerri, benedici, & consecrari, quod verum non esset, si necessario in vinum esset prius conuertenda, quia tunc non aqua, sed vinum offerretur, benediceretur, & consecratur. Quod autem aquæ de aqua vino permixta, ac de vino Patres affirmant consecrari constare ex his, quæ referuntur, *cap. 1. & 4. de consecra. dist. 2.* sed præcipue id tradidit Alger. *lib. 1. de Sacram. cap. 16.* cum enim inquit vinum pro Christo, aqua sacrificetur pro populo, & verumque vnus sanguis fiat. Et Paschal. *lib. 1. de Corpore Christi. cap. 11.* ubi ait: Propterea non inconuenienter etiam ob hostiadem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem, ut significet, quod fides percipiat. Idem docet Damascen. *lib. 4. orthodoxæ fidei. cap. 14.* Neque vnus ex antiquis patribus docuit aquam necessario in vinum conuertendam esse priusquam in sanguinem Christi, imo potius plures testantur hanc conuersionem esse impossibilem, ut satis colligitur ex his quæ tradit Innocent. III. *in cap. cum Martha de celebrat. Missar. §. quæsiuit.* Et docuit Iustin. Martyr. *apolog. 2. pro Christianis sub finem,* & aliqui Philosophi relati à Conimbrensi. *de generat. lib. 1. cap. 10. quæst. 1. art. 1.* sed absolute affirmarunt simul cum vino in sanguinem Christi conuerri, quod de conuersione propria, & immediata intelligendum est. Secundo quia Innocent. III. *in dicto cap. cum Martha de celebrat. Missar.* rogatus, an aqua, quæ vino miscetur in sanguinem Christi conuertatur. Huic opinioni fauere videtur quarens ex triplici opinione, quam ibi recenset secundam ut probabilior emigit, quæ est aquam cum vino transubstantiari, reiecta prima opinione de conuersione in humorem stigmaticum, & tertia asserente in propria specie manere accidentibus vini circumfusam, quod necessario asserendum est sæpè contingere, si aqua in sanguinem Christi immediatè non conuertitur. Tertiò ponamus, ut est satis, verissimile, aquam, quam Christus Dominus vino consecrando miscuit, non esse tempore consecrationis in vinum conuertam,

conuerfam, cum illius mixtionem statim subsecuta fuerit consecratio. At si aqua in sanguinem Christi non conuertitur, sed in substantia aquae post consecrationem remanere debet, non est credendum Christum Dominum illam fore apposituram, neque Ecclesiam praecipituram Sacerdotibus apponendam. Ergo. Quarto verba consecrationis totum illum potum, qui ex Ecclesiae instituto consecrandus apponitur, determinatè significat, ergo totum illum in sanguinem Christi conuertunt. Cum ergo ille potus non solum ex vino, sed ex aqua mixta vino coalescat, & sic consecrandus ex Ecclesiae instituto apponatur, necessariò totus ille potus in sanguinem Christi conuertitur. Quòd ex hac sententia nullum sequitur inconueniens. Nam esto Concilia saepe definiant panem, & vinum esse materiam consecrationis, non inde excludunt aquam vino mixtam. Aqua enim vino mixta vinum communiter nuncupatur. Neque inde fit duplicem esse materiam sanguinis, aliam necessariam, & aliam sufficientem. Nam aqua seorsim sumpta nunquam est materia sufficiens, quia necessariò expostulat, vt sit sufficiens esse vino permixtam, & cum illo consecrari. Neque duo ibi consecrantur, sed vnum, scilicet vinum aquaticum, seu compositum ex vino, & aqua, vt dixit Glossa in dicto cap. cum Martha verbo cum vino. Quocirca si quis vellet verbis consecrationis solum aquam qualitatibus vini persulam consecrare, nihil efficeret, quia aqua qualitatibus vini persula independentè à vino consecrari nullatenus potest. Sexto potest probari ab inconuenienti. Totus enim calix, qui consecrationi praeparatur, facta consecratione adorandus proponitur. Hoc autem nequit fieri eo casu, quo moraliter constat aquam in vinum conuersam non esse tempore consecrationis, siquidem aqua adoratione Latrae proponeretur adoranda. Ergo dicendum est aquam immediatè in sanguinem Christi conuerti, quando in tempore consecrationis in vinum conuersa non est. Item nequiret Sacerdos aliam secundam missam celebrare ob populi necessitatem, cum sibi moraliter constet non esse ieiunium.

10. Nihilominus etsi praedicta sententia sit satis probabilis praecipue ob primum fundamentum, probabiliorè reputo contrariam, nempe aquam in sanguinem Christi non conuerti, nisi quatenus fuerit in vinum conuersa, sic expressè docuit Glossa in dicto cap. cum Martha verbo cum vino, quatenus dicit. Non transeunt duo in sanguinem, sed vinum, quod aquam sibi incorporauit. Si autem substantia aquae immediatè in sanguinem Christi conuenteretur, duo, scilicet vinum, & aqua in sanguinem Christi transirent. Item tradidit Alexand. Bonauent. Ricard. Scotus, Paludan. Gab. Maior. Vi-guer. quos refert, & sequitur Valq. quest. 74. 3. p. art. 4. disp. 178. cap. 2. Consentit Azor. lib. 10. cap. 28. quest. 1. Filiuc. tract. 4. c. 3. quest. 10. Suar. disp. 45. sect. 4. Verf. nihilominus. Henric. lib. 8. c. 12. Et in comment. lit. 1. Bonac. disp. 4. quest. 2. pun. 4. num. 7. testanturque esse communem, cui assentire videtur Innocent. III. in cap. cum Martha approbans secundam opinionem ibi relata, quae erat aquam cum vino transubstantiari, cum in vinum transeat mixta vino. Supponit ergo non transubstantiari eo casu, quo in vinum non transiret. Fundamentum praecipuum est, quia concil. Florent. in dicto decreto de Armenis, & Trident. sess. 23. cap. 1. Et 4. can. 1. & Innocent. III. in cap. firmiter de summa Trinit. expressè asserunt huius consecrationis materiam esse solum vinum de vite. At si aqua mixta vino in sanguinem Christi immediatè conuenteretur, non solum vinum, sed aqua qualitatibus vini effecta esset materia. Non igitur est dicendum. Deinde Trident. sess. 13. can. 3. definit post consecrationem solas species panis, & vini remanere, at si aqua in sanguinem Christi conuenteretur, non tantum species vini, sed aquae remanebant, sub quibus sanguis Christi existeret. Ex quo videtur inferri, si huiusmodi species aquae ab speciebus vini separarentur, vt Philosophi testantur separari posse, sub illis Christus Dominus existeret, siquidem Concil. Trident. sess. 13. can. 3. definit sub singulis cuiuscunque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri. At affirmare sub solis aquae speciebus contineri Christum (esto probabile reputet Argid. de Coninch. quest. 74. art. 8. sub. vnic. num. 191.) mihi difficilimum est, eo quod sola illae species continere possunt Christum, ex quarum substantia Christus confici potest: at ex sola substantia aquae nequit Christus in hoc sacramento Eucharistiae confici. Ergo sub solis aquae speciebus nequit constitui. Dices Trident. definire tantum sub singulis speciei partibus separatione facta Christum contineri, sub quibus consecrari potest, cum autem non possit consecrari in aqua à vino separata, sed in aqua mixta vino, nequit sub speciebus aquae separatis constitui. Sed contra. Nā Trident. definit separationem non admitti praesentiam corporis, & sanguinis, sed sub singulis speciei partibus separatis existerè, sub quibus non separatis Christus existeret: at si ante separationem sub speciebus aquae existeret, facta separationem sub illis existerè debet. Secundum fundamentum est, quia incertum est Christum Dominum aquam vino consecrando miscuisse, & incertius, sic miscendam praecipisse. Ergo nullo firmo fundamento affirmari potest aquam mixtam vino esse

materiam consecrationis quoad suam substantiam. Materia namque cuiuslibet sacramenti ex Christi institutione constare debet. Tertium sumitur ab inconuenienti, ideo contraria sententia affirmat aquam naturalem vino mixtam immediatè in sanguinem Christi conuerti, quia sic mixta communi vlti hominumque aestimatione est vinum. Sed eadem ratione dici posset aquam rosaceam mixtam vino esse materiam, siquidem sic mixta ob qualitates à vino acceptas vinum nuncupatur, totusque ille potus vinum esse dicitur. Quod autem sit aqua rosacea, vel naturalis per accidens est, cum aequè ex vtraque mixtura absolute vinum nuncupetur, & aequè vtraque per se indebita consecrationis materia sit.

11. Argumenta pro priori sententia adducta, etsi difficilem habeant solutionem, non tamen conuincunt. Ad primum respondeo aquam benedicti, offerri, & consecrari. Quia frequenter in vinum conuertitur, & sic conuersa consecratur, & ad hunc effectum vino miscetur. Quod si aliquando in vinum conuersa non fuerit, id est per accidens, & praeter Ecclesiae intentionem, & eo casu consecrari censenda est per denominationem à vino, cui est permixta, tamen si in ipsa non consecratur. Ad secundum constat ex probatione nostrae sententiae. Nunquam enim Innocent. III. definiuit, aquam vino permixtam, & quae tempore consecrationis in substantia aquae perferuerat, conuerti in sanguinem Christi, potius enim contrarium supponit, asserens aquam cum vino in sanguinem transmutari, eo quod in vinum transeat, tacitè denotans eo casu, quo in vinum non transiret, in sanguinem non transmutari. Ad tertium nego aquam à Christo Domino appositam in vinum non fuisse prius conuertam, quia modicissima fuit. Et ob hanc in vinum conuersionem praecipit Ecclesia modicissimam apponi, quod si aliquando aqua apposita in vinum conuersa non fuerit, id est per accidens est, & praeter Ecclesiae intentionem. Ad quartum concedo verba consecrationis significare totum illum potum, qui ab Ecclesia consecrandus apponitur, nego tamen significare aquam vino permixtam in substantia aquae perferuerantem, quia aqua sic sumpta non apponitur consecranda, sed apponitur consecranda in vinum conuersa. Ad quintum nego ex opposita sententia nullum sequi inconueniens, siquidem sequitur re ipsa duo consecrari, & duas esse materias, tamen vna sine alia esse non possit. Ad sextum concedo totum calicem proponi adorandum, quia creditur sub singulis partibus Christum contineri, quod si aliquando contigit aquam in sua substantia manere tempore consecrationis, id est per accidens, & quoad eam partem non proponitur calix adorandus, quia aqua nunquam fuit consecrationi praeparata, nec adorationi proposita, nisi media conuersione in vinum. Quod autem subiungitur de ieiunio facile solues, si dicas ieiunium non solui, quia Sacerdos reputare probabiliter potest aquam in vinum conuersam prius fuisse. Secundò quia simul cum sanguine Christi ex praescripto Ecclesiae sumitur, quam non est credendum voluisse ea sumptione ieiunium solui.

P V N C T U M VI.

Quae intentio in ministro, & quae praesentia, & quantitas in materia requiratur, vt consecratio valeat, licitaque sit.

1. Explicatur intentio requisita.
2. Deserens duas hostias, putans vnam tantum deferre, vtramque consecrat.
3. Quid de formalis pro communicantium usu? Subdistingtione respondetur.
4. Quid de gustis intra, vel extra calicem existentibus.
5. Debet materia consecranda esse praesens, & qualiter.
6. Quae quantitas requiratur.
7. Seruandus est Romanae Ecclesiae usus, vt licitè consecratio fiat.
8. Quid faciendum, cum dubium suboritur, an sit aliqua materia consecrata.

1. AD consecrationem primo requiritur, vt intentionem habeas saltem virtuales consecrandi, quia intentio ministri Sacramento necessaria est. Quae autem sit intentio virtualis constat ex dictis tract. 18. de Sacram. in genere. punct. 5. Insuper debes habere intentionem determinatam, hoc est circa materiam determinatam, quod pronominè hoc, vel hic signare possis. Quia materia, & forma sacramenti operantur secundum ministri intentionem. Si igitur intentio determinata non est, effectum determinatum habere non possunt. Neque sufficit, si hanc determinationem in voluntatem Dei, vel alterius hominis refundas. Nam si est voluntas de futuro, ab ea pendebit sacramentum in suo esse. At hoc sacramentum nequaquam à futuro euentu pendere potest, quia eo tempore neque est forma illius, neque materia. Ergo. Si vero sit voluntas de praesenti, vel sique consecrare ex duplici hostia eam, quae

que Paulo, vel Deo magis placeat. (tametsi *Egid. quest. 74. art. 2. num. 37.* censet consecrationem effectum habituram) at longè probabilius contrarium existimo casu quo tibi ignotum sit, quæ ex illis hostiis sit Paulo, vel Deo gratior. Nam postea hæc ignorantia nequaquam potes pronominè *hoc* hostiam determinare, cum tamen necessarium sit determinationem illius ex tua voluntate, & non ex voluntate alterius pendere. Sic optime tradit *Vasq. disp. 171. cap. 1. n. 7. Suar. disp. 43. sect. 6. Bonac. disp. 4. q. 2. p. 5. n. 9.*

2. Hinc oritur dubium pro casu communiter contingente. An Sacerdos duas hostias consecrandas deferat, credens unam tantum deferre utramque consecret, vel mediam? Aliqui affirmant solam ante oculos propositam consecrare, quia illius tantum videtur habuisse intentionem, siquidem aliam non cognovit, & intentio ferri non potest in incognitum. Sed verius est utramque consecrare, quia præsumitur eam intentionem habere, quam communiter Sacerdotes habent, & Ecclesia intendit. At Sacerdotes intentionem habent consecrandi materiam præsentem, quam in altare consecrandam derulerunt, & in manibus habent tempore consecrationis. Ergo eam intentionem præsumitur Sacerdos habuisse. Sic *Natur. cap. 25. numer. 91. Suar. disp. 43. sect. 6. v. 1. sed obicitur. Vasq. disp. 171. cap. 1. numer. 2. Bonac. disp. 4. quest. 2. punct. 5. num. 3. Egid. de Coninch. quest. 74. art. 2. dub. 3. numero 39.*

3. Sed quid dicendum de formulis, quæ solent pro communicandis deferri. Respondeo, si incipio Sacerdos in altari esse depositæ, ipseque Sacerdos illarum ignarus esset, nullatenus consecrarentur, quia nullam intentionem etiam virtuales habuit illas consecrandi. *Egid. de Coninch. q. 74. art. 2. dub. 3. n. 39. Bonac. aliis relatis disp. 4. q. 2. punct. 5. n. 8. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 9.* Secus vero esset, si ipse Sacerdos, vel alius ex eius benedictio casu formulam consecrandas ante offertorium deferret. Nam eo ipso voluntatem habet eas consecrandi, ex qua voluntate consecrarentur, tamen si tempore consecrationis illarum obliuiscatur. Sic *Egid. num. 40. Laymann. supra. Bonac. n. 6.* Quod intelligendum est, dum modo sint super altare sacrificij, hoc est super aram, nam si iuxta existant, & illarum oblitus fuerit, nequaquam sunt consecrata. Quia non est præsumendum Sacerdos indebitè, & illicitè consecrationem facere voluisse. Sic optime notavit *Suar. disp. 43. sect. 6. circa finem.*

4. Ob eandem rationem guttæ vini in superficie exteriori calicis non censentur consecrata: quia indebitè Sacerdos eas consecraret, ac proinde non est præsumendum eam intentionem habere: guttæ vero intra vas existentes, si leui calicis motione reliquo vino misceri possunt, censendæ sunt consecrata, ne materia non consecrata consecratur misceretur. At si longè à reliquo vino separata existant, in consecratae manent, quia solum præsumitur voluisse consecrare vinum illud, quod quasi per modum vini intra calicem existit. Vt autem hæc dubia videntur expedit in præparatione calicis eas guttas exactè abstergere. Sic *Egid. quest. 74. art. 2. dub. 3. in fine. Suar. disp. 43. sect. 6. circa finem. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. sine.*

5. Secundo requiritur ad consecrationem, vt materia consecranda sit tibi præsens, ita vt eam pronominè *hoc*, vel *hic* demonstrare possis, & sensu percipere, aliàs morali, & humano modo tibi præsens non erit. Cui præsentia non obest, quod in aliquo vase, aut linteo continetur: nam ratione continentis contentum tibi præsens est. Secus esset, si retro parietem, vel linteum panis, vel vinum essent apposta, quia tunc nullo sensu eam materiam demonstrare potes. Et idem est, si panis sub mappa, vel in tabernaculo existat, quia non existit ibi tanquam in continenti, quod sensu percipi possit. Sic *Suar. disp. 43. sect. 5. Vasq. disp. 171. c. 4. Bonac. disp. 4. q. 2. p. 6. n. 2. Egid. de Coninch. q. 74. art. 2. dub. 2. n. 22. & 23. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 2. assert. 7.*

6. Tertiò requiritur ea quantitas, quæ humano sensu percipi possit, & pronominè *hoc* ab homine demonstrari, quia sacramenta non Deo, & Angelis, sed hominibus sunt signa gratiæ sanctificantis. Quocirca si ita minima quantitas esset, vt nullatenus ab homine extra miraculum percipi posset, inepta consecrationi esset, quia pronominè *hoc* demonstrari non posset. Requiritur ergo ad consecrationem quantitas Sacerdoti consecranti demonstrabilis. Dices sub minima quantitate separata ab aliquo pane consecrato Corpus Christi continetur, cum tamen sensu humano percipi non possit. Respondetis plus requiri ad Corpus Christi consecrandum, quam ad consecratum conservandum, quia ad consecrationem necessarium est, vt materia consecranda sit ita sensibilis vt demonstrari possit, secus ad illius conservationem. Sed contra, quia Christus Dominus conservari non potest nisi sub specie, quæ humanis sensibus percipi possit: aliàs non erit signum sensibile. Ergo idem ipsum, quod requiritur, vt Christus sub speciebus ponatur, requisitum est, vt consecratur. Quapropter censet nullam quantitatem ita minimam esse, quæ ab homine sensum perfectissimum habente percipi non

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I V.

possit, ac proinde quæ ab eo non possit consecrari. Quod si aliqua sit quæ per se sumpta à nullo homine extra miraculum percipi possit, nec consecrari poterit, nec sub ea Christus existere. Sic *Vasq. disp. 171. c. 2. Potentis Suar. disp. 43. f. 8. ex parte Egid. de Coninch. q. 74. art. 2. dub. 2. n. 28.*

Ex parte magnitudinis nulla potest quantitas ita magna designari, cuius partes si continuæ existant, consecrari non possint. Nam esto illæ partes remotæ, si distinctè sumerentur demonstrari non possent pronominè *hoc*, quia longè distant. At vnitæ partibus proximioribus, & vnum continuum cum illis componentes optime demonstrantur. Neque enim ad hanc demonstrationem requiritur, vt quantitas secundum omnem sui partem sensibus obiciatur, cum regulariter solum quoad superficiem exteriorem & videatur, & sentiatur. Sed quia illæ partes exteriores aliis vnuntur, ideo totum illud demonstrari potest. Sic *Vasq. disp. 171. cap. 4. num. 25.* Notanter dixi si partes continuæ existant, nam si diuise sint, & longè à consecrante distent, nequaquam consecrari poterunt, quia non possunt pronominè *hoc* demonstrari. Non enim pronomen illud demonstrat cumulum, sed panes, ex quibus cumulus coalescit. At panes remoti nec per se, nec ratione aliorum demonstrari possunt, cum non sint illis vniti. Ergo. Sic *Egid. de Coninch. quest. 74. art. 2. dub. 2. num. 20. & 22.* Quod si inquiras quam proximitatem habere necessario debeat materia, vt pronominè *hoc* demonstrari possit? Respondeo prudens arbitrio decidendum esse. Crederem lanè non debere à consecrante 20. passus distare, quia panis in ea distantia constitutus est oculis percipiatur, at communi vñ non demonstratur pronominè *hoc*, sed illud.

7. Hucusque locutus sum de requisitis pro consecratione valida. Nam si de licita loquamur, seruandus omnino est vsus, & consuetudo Romanæ Ecclesiæ, tum in quantitate materiæ, tum in illius præsentia.

8. Sed quid dicendum, cum dubium occurrit, an materia aliqua sit consecrata? Respondeo, si dubium prudens oriatur, ex eo quod dubitetur, an fuerit satis præsens, vel an fuerit intentio circa illam. Si nulla alia materia pro sacrificio est constituta, debet sacerdos iterum verba consecrationis profertre super illam materiam sub conditione, ne sacrificium imperfectum relinquat. At si alia materia pro sacrificio est constituta, nec dubium circa illam versetur, sed circa materiam communicaturis appositam, debet Sacerdos alio die sacrificans, vel alter Sacerdos de ea re monitus, verba consecrationis super illam materiam sub conditione profertre, eamque simul cum materia, quam in illo sacrificio consecrauit absumere. Quod si dubium oriatur ex incapacitate materiæ, quia præsumitur vinum esse acetum, vel panis corruptus, si nulla alia materia certa sit in eo sacrificio consecrata, debet sacerdos errorem agnoscens certam materiam consecrare, & simul cum ea dubium absumere. At si alia materia certa apposta fuit, alius Sacerdos, vel ipse altero die eam dubium materiam simul cum ea, quam in sacrificio consecrat absumere debet. Hic enim honor, & reuerentia materiæ sub dubio consecratae debetur.

PUNCTUM VII.

De forma conficiente hoc venerabile Sacramentum.

1. *Quæ forma consecrationis panis.*
2. *Quæ transpositio, mutatio, diminutio, vel additio annullat sacramenti formam.*
3. *Quæ sit forma consecrationis vini.*
4. *Qualiter utraque forma à sacerdote profertur.*
5. *Pro quo supponat pronomen hoc vel hic.*
6. *Quid operentur verba consecrationis.*

1. **F**orma consecrationis panis sunt illa verba. *Hoc est enim corpus meum*, quia illis perfectè significatur corporis Christi præsentia. Vnde reliqua tam antecedentia, quam subsequenta non sunt de necessitate sacramenti, sed præcepti. Quinimo particula *enim*, cum non ad significandam Christi præsentiam, sed ad coniungendum sermonem apposta per Ecclesiam fuerit, consecrationi necessaria non est. Erit tamen peccatum saltem veniale, illius omisio ex negligentia, & incuria. At si ex proposito fiat vix à mortali excusabitur ob virtuales contemptum. Sic *Suar. disp. 59. sect. 1. Egid. de Coninch. q. 78. art. 2. dub. 2. n. 57. Bonac. disp. 4. de sacram. Euchar. q. 1. p. 1. n. 10.*

2. Quilibet tamen transpositio, mutatio, diminutio, vel additio in hac forma regulariter est graue peccatum, tametsi non impediatur illius significationem. At si significationem impediatur, ultra peccatum irritum reddit sacramentum, vt constat ex dictis tract. 18. de sacram. in genere. punct. 3. Hinc sit his verbis illud est corpus meum, non confici hoc

E

hoc sacramentum, quia pronomen illud modum significandi a Christo usurpatum mutat. Et idem est si diceret: hic est corpus meum, sum pro hic adverbialiter. Non enim significat conversionem, quæ ex substantia panis in corpus Christi per huiusmodi formam consecrationis fit. Neque item hoc Sacramentum conficitur, si dicas hoc est corpus Christi, quia non in persona Christi, & Christum representans sacramentum conficeres, sed relatiue te haberes, quod institutioni obstat. Nec denique conficeres sacramentum, si diceret, conficere, conficere corpus Christi, vel corpus meum, quia forma huius sacramenti non in fieri, sed in facto esse præsentiam Christi significat. Sic sustinet Henricus lib. 3. capite 16. Suar. disput. 59. sect. 2. Bonac. disput. 4. quest. 3. punct. 1. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 3. & alij communiter.

3. Forma consecrationis vini sunt tantum illa verba: Hic est enim calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Variant Doctores, an omnia hæc sint de essentia? Affirmat S. Thom. quest. 78. artic. 3. S. Antonin. 3. p. tit. 13. cap. 5. §. 4. Syluest. verbo Eucharistia 1. quest. 6. dictio 4. Petr. de Soto, lect. 2. de Eucharist. Mouentur, quia posteriora verba noui, & æterni testamenti, &c. priora determinant, & eodem tenore à Sacerdote profertur. Ergo omnia sunt de essentia. Nihilominus longè verius est sola illa verba. Hic est calix sanguinis mei; essentialia, seu substantialia esse, quia finita illorum verborum prolatione significatur sanguinem Christi ibi esse præsentem. Ergo illis sacramentum sanguinis perfectè conficitur, siquidem verba efficiunt quod significant. Reliqua vero verba non vt operatoria præsentia Christi usurpantur, sed vt recitantiæ eius effectum, & declarantia sanguinis effectum. Deinde Euangelista, & Paulus præscribentes modum conficiendi hoc sacramentum plurima ex dictis verbis omitunt, illis tantum retentis, noui testamenti. Ergo signum est reliqua essentialia non esse. Imo neque noui testamenti, cum non ad significandam sacramenti substantiam, sed illius qualitatem dicta fuerint, scilicet ad denotandum sanguinem Christi esse sacramentum, quo nouum testamentum confirmatur non pro tempore limitato, sed vtque in finem mundi, esseque mysterium, quod sola fide percipi potest, effectumque esse non solum pro Apostolis, & Iudæis, sed pro Gentibus in remissionem omnium peccatorum. Adde in variis liturgiis solum prima verba sunt apposita, vt constat ex Clement. Alexandr. lib. 8. constitut. cap. 12. & 17. Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 5. Iustino. apolog. 2. & pluribus exornat Suar. disput. 60. sect. 1. Egid. de Coninch. quest. 78. artic. 3. dub. 2. conelus. 3. & 2. Bonacin. disput. 4. quest. 3. punct. 2. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 3. assert. 2. Henric. lib. 8. cap. 17. & alij plures apud ipsos. Quæ autem mutatio in hac forma essentialis sit, quæ non, colligitur ex dictis num. præcedenti.

4. Hinc sic formam essentialem consecrationis panis, & vini profertur à Sacerdote tum recitantiæ, & historicæ; tum formaliter, significantiæ, assertiue, & operatiue. Constat recitantiæ profertur ex ipso contextu canonis, in quo Sacerdos narrat sic Christum Dominum illa verba protulisse. At quia illa verba non solum recitant quod Christus fecerit, sed id ipsum deruo faciunt, & operantur, ea de causa etiam significantiæ, assertiue, & operatiue profertur. Afferunt enim, & efficiunt esse corpus Christi, quod Sacerdos suis tenet manibus, quod verum nullatenus esset, si solum recitantiæ essent prolata verba. Sic D. Thom. quest. 78. art. 5. Egid. de Coninch. 9. 78. art. 3. dub. 1. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 3. assert. 3. Suar. disp. 58. Henric. lib. 8. cap. 16. & cap. 18. Bonac. aliis pluribus relatis disp. 4. q. 3. punct. 3.

5. Sed est dubium qualiter pronomen illud hoc, vel hic supponat. Non enim pro substantia panis, vel vini supponere, potest, siquidem falsa esset propositio affirmans substantiam panis, & vini esse corpus, & sanguinem Christi, tamen ex pane, & vino corpus, & sanguis Christi conficiatur. Neque etiam pro accidentibus panis, & vini supponere potest. Tum quia accidentia non sunt corpus Christi. Tum quia non adest corpus Christi, cum pronomen illud profertur. Neque item supponere potest pro ipso corpore Christi, alias esset propositio identica: Corpus Christi est corpus Christi, & ad conuersionem significandam omnino insufficientis. Hæc enim significari non potest, nisi prædicatum, & subiectum propositionis respiciant aliquem terminum vtrique commune. Dicendum ergo est pronomen hoc cum profertur, supponere non determinatè, & in particulari pro pane, vel illius accidentibus, vel pro Christo, sed supponere confusè, & in communi pro contento sub accidentibus panis, & vini, quæ indeterminatè adueniente prædicato tollitur. Quocirca cum dicitur hoc nihil determinatum, & singulare signat, sed signat quid commune, & indeterminatum, quod sub accidentibus panis continetur, determinatur autem prædicato adueniente, vt pro corpore Christi

supponat. Sic D. Thom. 4. 78. art. 5. & ibi Egid. de Coninch. num. 42. Suar. disput. 58. sect. 7. ver. quinta sententia. Henric. lib. 8. cap. 19. m. 1. Bonac. aliis relatis disp. 4. quest. 3. p. 4. à n. 1.

6. Finita prolatione verborum, quæ ad consecrationem diximus necessaria esse, perit substantia panis, & vini, & corpus, & sanguis Christi sub illorum accidentibus constituitur non tanquam verum subiectum, cui accidentia inhærent, sed vices subiecti gerens ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Ob quam causam Concilia, & Patres actionem, qua hæc omnia sunt transubstantiationem appellat, id est conuersionem vnius substantiæ in aliam substantiam sub eodem termino. Etenim consecrationis verba eam vim, & efficaciam habent ex diuina promissione, vt eo ipso quo profertur, corpus Christi constituantur sub accidentibus panis, & vini, ipsaque substantias panis, & vini destruant per eam actionem, qua conuertantur. Neque ad hanc transubstantiationem opus est, vt corpus Christi denno producat, seu reproducat, sufficit ad ipsum corpus Christi constitutum sub accidentibus panis terminari. Ex qua terminatione adiuncta diuina promissione nascitur substantia panis, & vini destructio, sic transubstantiationem explicat Suar. tota disput. 61. Egid. de Coninch. quest. 75. art. 4. Bonac. disp. 4. quest. 4. punct. 5. & 6. Paul. Laymann. lib. 1. sum. tract. 4. cap. 3. in princ. Valqu. latissimè disput. 181. & seqq.

PUNCTUM VIII.

Qualiter Christus Dominus in hoc Sacramento constituitur, præsens existat, & operetur, & à fidelibus adoretur.

1. Totus Christus est sub qualibet specie.
2. Mouetur Christus ad motionem specierum.
3. Qualiter conficitur Christus existere, dum species mutantur. Et quid de apparitionibus.
4. Adorari debet adoracione laica.
5. Debet absoluitè adorari, cum non adest probabilis dubitandi ratio.
6. Sacerdos simulans celebrationem grauissimè peccat.
7. Quoties sacrificium offert, vel communicans, debet hoc sacramentum adorare.
8. Grauiusimè sacrilegium est irreuerenter tractare hoc sacramentum.
9. Quæ conducant ad reuerentiam, & cultum huius sacramenti ex Ecclesia præscripto.

1. Totum Christum sub qualibet specie panis, & vini facta consecratione constitui docuit Florentin. in decreto Eugenij de Armenis, & Trident. sess. 13. c. 3. Et colligitur ex illo Joannis 6. Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Ex significatione tamen verborum sub accidentibus panis solum corpus Christi constituitur, & sub accidentibus vini solum eius sanguis, quia verbis consecratoriis hæc præcisè significantur. At quia corpus Christi est sanguis, & anima, & diuinitati vnitum, constituitur corpore consequenter, & concomitanter constituitur in sacramento sanguis, anima, & diuinitas, ac denique totus Christus. Et idem est de sanguine. Constituitur autem Christus, & existit sub prædictis speciebus, sicuti anima rationalis in corpore, totus in toto, & totus in qualibet parte. Nam licet in se extensus sit, & partes extra partes habeat, nullam tamen quoad locum extensionem admittit. Vnde neque diuisa hostia ipse diuiditur, nec minus ex eo accipit sub minima parte communicans, quam si sub magna communicaret, sicuti docuit Florentin. supra, & Trident. sess. 13. cap. 3. can. 1. insuper affinit ibi, qualis affinit in celo omni scientia, gratia, aliisque donis exornatus, quæ Christo glorioso competunt, quia sic decet eius maiestatem. An autem operationes materialium potentiarum præcipue exteriorum exerceat? Incertum est, quia hæc ex natura rei petunt potentiam quoad locum extensam. At ex diuina virtute verosimile est operationes visus, & auditus exercere. Etenim scire Christum Dominum in sacramento existentem non solum intellectu, sed etiam visu, & auditu corporeo videre adorantem, & illius preces audire, pietatem fouet, reuerentiam excitat, & amorem conciliat.

2. Sic Christus ex suo verbo, & promissione accidentibus panis & vini annectitur, vt ad illorum motionem ipse moueatur, illis verò destructis percat illius realis præsentia.

3. Solum est dubium de mutationibus miraculose factis an illis non obstantibus Christus sub illis accidentibus, sicuti ante mutationem profueret? Etenim ex historicis fide dignis constat sæpè sub figura pueri, vel carnis, & sanguinis in sacramento apparuisse, quæ apparitiones indicant Christum ibidem existere, tamen accidentia panis, & vini videantur mutari.

Dicendum ergo est si mutatio non omnibus appareat, sed aliquibus, Christus Dominus sub sacramento, sicuti antea perleuerat, quia credendum est species sacramentales abque mutatione esse, & apparitionem contingere vel ex mutatione potentia visua representantis rem aliter quam est, vel ex mutatione corporis sacramentum circumstantis. Divina enim virtute corpus circumstantis ita mutari potest, ut figuram pueri, sanguinis, & carnis aliquibus, & non omnibus referat. Si vero sacramentales species omnibus appareant perseveranter mutatae, credendum est verè mutatas esse, & consequenter Christum Dominum sub illis non existere. Neque obstat sacramentum, quod sic in carnem, vel sanguinem mutatum est coli eadem adoratione, ac colitur verum sacramentum, quia colitur non in se, & propter se, sed propter Christum, quem etsi non continet, representat, sicuti de crucis adoratione dicendum est. Quod si roges, an cum Christus Dominus sub figura pulchri pueri, vel hominis crucifixi apparet in hoc sacramento, verè ipse appareat. Item an sanguis, qui aliquando in sacramento effusus est, ex venis Christi effundatur, & caro in quam saepe species sacramentales fuerunt conuersa, verè Christi caro sit? Respondeo frequenter in his apparitionibus non Christum, sed solum illius speciem, & figuram esse; aliquando tamen credendum est verè ipsum Christum ostendi in signum sui ardentissimae charitatis, & in exercitamentum amoris, & devotionis.

4. Superest dicendum qualiter hoc sacramento adorari debeat? Fide certum est adorari debere interius, & exterius, adoratione patriae, quia continet Christum Dominum eiusdem excellentiae, & dignitatis, ac est in caelo, ut latius profectur Trident. sess. 13. c. 3. & can. 6.

5. Dubitant Doctores, an hac adoratione absoluta esse debeat, an sub conditione saltem mente retenta, si ibi corpus Christi praesens sit? Nam saepe contingit non esse (tametsi existimetur) tum ob defectum ministris, qui verè ordinatus non est, vel intentionem non habuit consecrandi. Tum ob defectum debita materia. In qua dubitatione certum credo mente retinere, aut verbis exprimere hanc conditionem in adoratione. Adoro hoc sacramentum adoratione patriae, si consecratio facta est, non esse peccatum mortale, imo si bona fide, & intentione procedas, nec veniale, quia in huius conditionis appositione nullam sacramentum irreuerentiam irrogas, imo securus redderis. Verum sic procedere, quando non est probabilis ratio dubitandi, neque conueniens est, neque decet, quia minuitur denotio sacramenti, variisque serupulis animus subicitur, & aliqui periculo exponitur de fide malè sentiendi, ob quas rationes omnes communiter abque conditione aliqua actuali hoc venerabile sacramentum adorant credentes verum sacramentum consecratum esse, vtrinque Christi corpus ibi existere. Nam licet aliquando contrarium contingat, id ratum est, & communem adorationis modum impedit non debet. Sic Suar. disp. 65. sect. 2. Quinimo eo casu actus adorationis ex bona existimatione, & intentione procedens actus est religionis, quia religio non expostulat necessitas vestire circa obiectum speculatiue verum, & in se colendum, sed satis est veritari circa obiectum practice verum, (hoc est quod secundum praesentiae regulas indicatur vero cultu, & adoratione dignum, tametsi ex accidenti non sit (sub ratione formali adorationis vera. Quod in eo casu contingit. Prudenter enim iudicas esse sacramentum, siquidem tibi adorandum proponitur, & prudenter illud adoras. Nam esto in se spectatum nulla adoratione dignum sit, est tamen dignum, prout tibi representatur, & secundum rationem formalem, sub qua adoratione qua est dignitas Christi, qui verè, & realiter existit, tametsi in illa hostia non existat.

6. Hanc inferes sacerdotem simulantem celebrationem, cum tamen non celebret grauissimè peccatum, quia proponit adorandum materia nullam adoratione dignam; peiorisque conditionis esset eo, qui scienter in peccato celebraret, sicuti habetur cap. de nomine de celebrat. Missar. Et tradit Henric. lib. 8. cap. 33. & addit aliis relatis idem esse dicendum de eo qui peccatori occulto hostiam non consecratam sumendam porrigeret, siquidem proponit adorandum priusquam sumendam. Verum si proponeret hostiam adorandam tam alijs, quam ipsi sumenti, postea vero, quando manum adinouet ori peccatoris, illam mutaret, eique praemonito daret hostiam non consecratam, aliquibus videtur non committi graue peccatum, quia neque ipse, neque alij adorant. Sic Bonauent. in 4. dist. 9. Albert. Magn. dist. 13. art. 20. Adrian. quodlib. 3. art. 3. Henric. dicto cap. 33. Sed contrarium omnino tenendum est cum D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 6. ad 2. Alenf. Palud. Richard. Soto, & alijs quos refert, & sequitur Suar. disp. 67. sect. 4. ad 3. probatque ex Innocent. III. in cap. de homine de celebrat. missar. vbi in hoc proposito dicit fallà esse abiicienda remedia, quae veris periculis sunt grauiora, illa enim est perniciosa fictio, Fern. de Castro Sum. Mor. Pars IV.

siquidem gestu, verbis, & factis affirmat sacerdos esse sacramentum quod non est, & idololatriae exterioris periculum ingerit, tum respectu ipsius hominis praemoniti, qui sumendo illam hostiam flexis genibus actum adorationis elicit. Tum respectu adstantium, qui licet non videant; adorant tamen, quod alteri datur. At intrinsecè malum est proponere creaturam adorandam ut Deum, quae nullo modo Deum continet. Ergo non licet sacerdoti hostiam non consecratam pro consecrata alteri tribuere, vel ipsemet sumere.

7. Secundò inferes quoties sacrificium offers, vel communicas debere hoc sacramentum adorare, & reuereri, quia tibi adorandum proponitur, similiter quando à Sacerdote eleuatur in Missa, aut ad infirmum defertur, vel alio modo tibi praesens occurrit, debes adorare, sicuti cauetur cap. sanè de celebrat. missar. Quod si aliquando hanc adorationem ob negligentiam omittas secluso scandalo, non videris graue peccatum commissurus ob leuitatem materiae teste Suar. disp. 65. sect. 1. in fine.

8. Tertio inferes sacrilegium esse irreuerenter hoc diuinissimum sacramentum tractare; tractatur autem irreuerenter, si corporalibus, vasis, vestibulque immundis vasis in illius consecratione, aut si incaute custodias, ut ad corruptionem deueniat, vel ab hostibus irreuerenter tractetur, cap. sanè de celebrat. missar. Nulla tamen est ipso iure poena imposta, sed imponenda.

9. Ad reuerentiam, & cultum tanti sacramenti, & fidelium solatium conducit primò mos ab Ecclesia retentus, asseruandi hoc sacramentum clauè obseratum in sacratio cuiuslibet Ecclesiae parochialis, iuxta textum in cap. sanè de celebrat. missar. & Trident. sess. 13. cap. & can. 7. Secundò conducit, ne possit alius à Pontifice licentiam concedere asseruandi hoc sacramentum extra Ecclesiam parochialem, & religiosorum domum, quia frequenter alibi asseruari non potest ea decentia, & honestate qua par est. Sic ex congregat. Cardinal. referunt prax. noua Episcop. 2. p. cap. 3. num. 23. Marc. Antonin. Genuen. in praxi Archiepisc. Neapolit. cap. 92. alijs 110. Aloyf. Riccius collect. decis. 4. p. collect. 1216. & in praxi fori Ecclesiast. post. resolut. 495. in notabilib. in materia Episcop. edit. 2. Augustin. Barbosa praedictos referens de potest. Episcop. 2. p. allegat. 23. num. 8. Tertio conducit, ne sacramentum Eucharistiae asseruaretur in choro Monialium, & non in publica illarum Ecclesia, iuxta Trident. sess. 25. cap. 10. de Regularib. in fine. Aduertit tamen Man. 1. i. quæst. regul. quæst. 47. art. 4. post. med. non delinquit aduersus hanc prohibitionem, si simul in Ecclesia, & in choro Monialium habeatur. Sed contrarium credo dicendum. Concilium enim videtur intendisse prohibere consuetudinem asseruandi Eucharistiam extra Ecclesiam. Quarto conducit ad tanti sacramenti cultum, ne publicè deferatur absque lumine, ad quod credo sub obligatione graui parochum astringi, quia sic cauetur in dicto cap. sanè de celebrat. missar. & tradit prax. Episcop. 1. p. verbo Eucharistia. §. 2. Eman. Saà eodem num. 34. edit. Romae. Notanter dixi publice. Nam tempore pestis, & cum infirmus longè abest ab Ecclesia, scilicet per leucam secretò in sinu Sacerdoti deferri poterit. Deinde est laudabilis consuetudo, ut ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum sit die, noctuque lumen accensum, quod licet nullo iure scripto praecceptum sit, obseruari tamen debet quoad fieri possit. Eman. Saà, verbo Eucharistia num. 34. Nauarr. de horis canon. cap. 18. num. 67.

PUNCTVM IX.

Qui sint huius Sacramenti effectus.

I. §.

Expenditur primarius Sacramenti effectus.

1. Primarius Eucharistiae effectus est gratia augmentum.
2. An aliquando primam gratiam conferat? Negant plures.
3. Probabilius est oppositum.
4. Diluitur contrarium fundamentum.
5. Quando supradictum gratia effectum communicet Eucharistia.
6. An pluribus abundantior gratia conferatur, quam vnius tantum sumptione? proponuntur aliqui certia.
7. Si augeat in secunda hostie sumptione dispositionem, affirmant plures abundantiosem gratiam concedi.
8. Probabilius est oppositum.
9. Soluitur fundamentum contrarium.
10. Sacramentum dum in stomacho perseverat, non augeat gratiam ex opere operato.
11. Communicans sub vtraque specie an recipiat abundantiosem gratiam? Negant plures.

12. Verius est oppositum.
 13. Fit satis opposito fundamento.
 14. Recedente fictione non communicatur effectus huius sacramenti.

1. PRImus, & præcipuus effectus huius diuissimi sacramenti est conferre augmentum gratiæ homini in gratia existenti. Si enim omnia sacramenta nouæ legis testatur Trident. *sess. 7. can. 6.* gratiam conferre non ponentibus obicem, hoc sacramentum vitæ omnium præstantissimum abundantiorum confert. Colligitur ex *cap. firmiter, de summa Trinit. ex fide Cathol. & cap. cum Marthæ de celebrat. Missar. & Clement. vna de Reliquis, & venerat. Sanctior. & Trident. sess. 13. cap. 2.*

2. An verò aliquando primam gratiam conferre possit? non est constans sententia, Negant Bonauent. in 4. *disp. 9. art. 2. q. 3. Gab. ibi. qu. 2. art. 2. conclus. 1. Valq. disp. 205. cap. 4.* Et moueri possunt, quia hoc sacramentum est institutum per modum cibi, & spiritualis nutrimenti: At cibus necessarid expostulat fumentem viuere: non enim mortuum nutrire potest. Ergo hic cibus spiritualis necessario supponere debet fumentem viuere spirituali vita, vt spiritualiter illum nutrire, & roborare possit. Deinde hoc sacramentum non est institutum ad remittenda peccata mortalia, sed ad remittenda venialia, & præseruandum à mortalibus, vt dixit Trident. *sess. 13. c. 1.* Si igitur primam gratiam aliquando conferret, ad remittenda peccata mortalia esset institutum, non enim hunc effectum aliunde quam ex institutione habere sacramentum potest.

3. Nihilominus communior sententia docet aliquando hoc sacramentum primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere, videlicet cum peccator ad sacramentum suscipiendum accedit attritus, credens esse contritum, vel ignarus sui peccati suscipit sacramentum attritione cognita. His enim euentibus concedendum est cum D. Thom. 3. *qu. 79. art. 3. & 8. Valent. t. 4. disput. 6. qu. 5. p. 1. Egid. de Coninch. quest. 79. art. 3. num. 52. Suar. disp. 63. sect. 1. in medio. Bonac. disput. 4. q. 4. pun. 1. in princ. fauereque Trident. sess. 13. can. 5. negans præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, tacite indicans minus præcipuum esse, at cum peccatum absolute sumptum pro mortali supponat, videtur concilium definire Eucharistiæ effectum secundarium esse peccati mortalis remissionem, quod solum in casibus prædictis contingere potest. Ratio sumitur ex diuina institutione, quæ hac consideratione probari potest. Christus Dominus sacramenta omnia instituit efficacia ad conferendam gratiam non ponentibus obicem. At peccator attritus credens esse contritum si suscipiat hoc sacramentum, obicem gratiæ recipiendæ non ponit. Non enim ponit obicem ob peccatum in communione commissum, quia hoc nullum est, cum bona fide sacramentum suscipiat, neque iudicium sibi manducet, & bibat, neque etiam ponit obicem ob peccatum antea commissum, siquidem illius attritionem habet, quæ posita diuinam bonitatem docet sacramentum efficaciam esse ad gratiam suscipiendæ conferendam. Quod si obicem inde sequi deficiente copia confessoris, peccatorem sibi peccati confesum accedere posse ad hoc sacramentum suscipiendum, si attritus sit, tamen cognoscat contritum non esse, siquidem attritio est sufficiens dispositio, vt gratiam conferat hoc sacramentum. Quod vero suscipiens credat se esse contritum, cum tamen non sit, error est intellectus, qui dispositionem ad gratiam suscipiendam potius minuere, quam augere potest. Respondeo attritionem per se esse sufficientem dispositionem ad gratiam, si ad sacramentum non accedis indignè. At quia suscipiens hoc sacramentum conscientis peccati mortalis sibi non remissi indignè accedit, attritio cognita dispositio non est in peccatore ad gratiam in hoc sacramento suscipiendam, error namque intellectus, quo existimat peccator se esse contritum non auget dispositionem, sed impedit peccatum sacrilegæ communionis, quod rectam dispositionem vitiat.*

4. Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ. Fa-teor namque hoc sacramentum institutum esse per modum cibi non solum nutrientis, sed etiam aliquando viuificantis, in quo à cibo corporali longè distat. Cum enim media gratia hoc sacramentum nutriat, & hæc nata sit viuificare, non est mirum quod aliquando ex accidenti viuificet. Neque inde fit esse sacramentum mortuorum, quia ad viuificandum non est per se, sed per accidens institutum. Cum verò concilium asserit præseruare à mortalibus, & venialia remittere, loquitur de effectu per se huius sacramenti, non de effectu, qui ex accidenti contingit.

5. Suprà dictum effectum gratiæ suscipis, cum primò sacramentum ex ore ad stomachum traicis, quia in hac tractione manducatio consistit, & manducanti gratia à Christo pro missa est Ioann. 6. Qui manducat me, viuet propter se. At quia hæc manducatio successiue fieri potest, & discontinuè fumendo plures hostias, vel vnâ per partes, me-

ritò dubitant Doctores, an idem effectus gratiæ singulis manducationibus respondeat, an potius distinctus, ita vt ex omnibus illis manducationibus abundantior gratia resultet?

6. Quæ in re duo sunt certa. Primum est cibum hunc caelestem in prima sui manducatione operari gratiæ effectum, si ad illum suscipiendum dispositus sis: quia per primam manducationem est sacramentum tibi applicatum, verissimumque est te corpus Christi sumpsisse. Vt ergo quod secundæ hostiæ manducatio expectanda est, si ab ea miraculosè impeditus esses, nullum ex prioris hostiæ manducatione effectum haberes, quod est absurdum. Sic Sotus *disp. 12. quest. 2. art. 1. Suar. t. 2. de Eucharist. quest. 79. disput. 63. sect. 4. Valent. t. 4. disp. 6. quest. 7. p. 1. Coninch. qu. 79. art. 1. dub. 2. n. 23. Bonac. aliis relatis disput. 4. quest. 4. p. 2.* Secundò est certum, quod prioris hostiæ manducatio effectum non habuit, eo quod indispositus eam sumperis, secundæ hostiæ manducationem effectum habituram, si sublata priori indispositione dignè illam recipias, quia recipis verum sacramentum, cui gratia promissa est non ponentibus obicem. Sic Caietan. *q. 79. art. 1. Coninch. ibi. n. 48. Didac. Nun. vers. ad secund. Suar. disp. 63. sect. 8. tamen contrarium sentiat Henric. lib. 8. cap. 43. n. 5. Bonac. disp. 4. quest. 4. pun. 2. num. 6.* Tertid est certum nouum gratiæ effectum per secundam hostiæ manducationem non recipi, casu quo per primam receptus sit, & dispositio in secunda manducatione non augetur. Quia prima, & secunda manducatio (vt supponimus) moraliter non distinguuntur, sed eandem communionem efficiunt. At communicatio prioris hostiæ operatur, quatenus in ea Christus Dominus applicatur. Ergo cum in posterioris hostiæ communione, quæ est eadem moraliter cum prima, idem Christus applicetur, nulla subest causa asserendi nouum effectum gratiæ producti, siquidem dispositio aucta non est. Ob quam rationem D. Thom. *quest. 79. art. 7. ad 3. dixit sacerdotem plures hostias consecratis in vna Missa fumentem, non plus gratiæ recipere, quam si vnâ tantum sumeret, quia non plus virtutis est in multis hostiis consecratis, quam in vna tantum, cum sub omnibus, & sub vna idem Christus existat. Sic sultinet Sotus, & Valent. supra Egid. de Coninch. n. 28. Suar. sect. 4. Bonacina p. 2.*

7. Quocirca controuersia inter Doctores est, an casu quo primæ hostiæ manducatio effectum habuerit, secundæ hostiæ manducatio succedens nouum effectum habeat? Theologum præcedentem augeat? Affirmant graues Theologi nouum effectum habere. Sic, aliis relatis docent Egid. de Coninch. *q. 79. art. 1. dub. 2. num. 30. & seqq. Bonac. disp. 4. q. 4. p. 2. n. 5. Suar. disp. 63. sect. 5. circa finem. iunctis iis quæ dixerat sect. 4.* Mouentur quia secundæ hostiæ manducatio, est manducatio sacramenti Eucharistiæ, & sicut prima, & æque efficacax gratiæ producendæ. At sacramentum habet effectum iuxta dispositionem recipientis. Cum ergo in secunda sacramenti sumptione sis magis dispositus, abundantior gratiam recipies. Deinde diuinam bonitatem, & misericordiam non leuiter decet sacramentum Eucharistiæ sic instituisse, vt quoties in illius sumptione dispositio suscipientis augetur, augetur etiam illius effectus. Addunt præterea Egid. Bonac. & Suar. supra species sacramentales, dum in stomacho perseuerant, ex opere operato augere gratiam, si suscipiens auget dispositionem: quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi, & spiritualis nutrimenti, cibus autem non solum effectum habet, cum traicitur in stomachum, sed potius cum in stomacho perseuerat.

8. Cæterum probabilis sententia nouum gratiæ effectum ex opere operato non recipi secundæ hostiæ manducatione, tamen nouis actibus te disponas. Sic pluribus firmat Valq. *quest. 79. art. 2. disput. 203. cap. 3. à num. 20.* Moueor primò, quia secundæ hostiæ manducatio à primæ hostiæ manducatione distincta non est moraliter. Ergo nec moraliter distinctum effectum habere poterit, tamen dispositio augetur. At si nouam gratiam præstantiori dispositioni correspondentem confert, nouum effectum moraliter distinctum producit. Non igitur asserendum est per manducationem moraliter indistinctam, nouam gratiam produci. Secundò moueor ob plura inconuenientia, quæ ex opposita sententia inferuntur. Primum est te fumentem plures hostias, vel vnâ successiue necessarid ex opere operato recepturam gratiam abundantiorum illo, qui vnica indiuisibili comestione minimam particulam manducaret, quia semper præstantius dispositus es in secunda, quam in prima. Nam licet actuale deuotionem non intendas, neque continues, habituales tamen, quæ in gratia habituali consistit, quæque ad hoc sacramentum expostulat semper intendis. Cum enim in prima sumptione habeas gratiam vt 4. & vi illius augetur vt 6. secundæ hostiæ sumptio te dispositum vt 6. inuenit. Ergo iuxta illam effectum producit. Ergo debet sumens plures hostias, vel vnâ successiue maiorem gratiam recipi eo, qui minimam accipit. Neque valer dicere gratiam eo sacramento productam non esse dispositionem ad nouam

novam gratiam in secunda hostie manducatione suscipiendam, eo quod sit vna moralis comestio. Nam inde probatur neque actualiter deuotionem esse dispositionem ad novam gratiam, siquidem comestio semper vna moralis est. Ergo si non obstante hac vnitate actualis deuotio efficax est, vt manducatio secunda hostie nouum gratie effectum producat, efficax etiam erit gratia per primam hostie sumptionem effectus. Secundum inconueniens, quod ex opposita sententia inferretur est per se loquendo, vt illius esse recipere hostias, vel grandiorum, quam vnam minimam particulam, siquidem hęc sumptio gratie abundantiori recipiendæ ex opere operato communiter conuenit, qua gratia carebit qui vnicam particulam sumpsit, tamen si dispositio augetur.

9. Ad fundamentum oppositæ sententiæ dices primò cuiuslibet Eucharistiæ sumptioni effectum esse promissum determinatum, qui nec augetur, nec minuitur, tamen si dispositio augetur, ea sumptione durante. Sicuti docuit Ledelm. in 4. p. 1. qu. 22. art. 4. Victorin. in sum. de Euch. n. 76. Qui effectus si in prioris hostie sumptione communicatur, non communicatur in posterioris sumptione, quia esto sumatur sacramentum physice distinctum, & sit sumptio physice distincta, quia tamen non est moraliter distincta, ideo nouus effectus non producietur. Secundò admittes sumptioni Eucharistiæ non esse promissum determinatum effectum, sed pro qualitate dispositionis, ita vt præstantiori dispositioni abundantior gratie effectus correspondeat, hinc tamen non inferretur, si augetur dispositio in secunda hostie sumptione abundantior gratiam communicari, quia in ea sumptione vtprote moraliter à prima indistincta nullus effectus gratie produciatur, quia est productus in prima, ac proinde neque abundantior produci potest. Sacramentum enim abundantior gratiam communicat melius disposito eo instanti, quo ipsum sacramentum operatur, secus cum ab operatione impeditur; in secunda hostie sumptione impeditur sacramentum ab operatione sui effectus, quia in prioris hostie sumptione, quæ à secunda moraliter non distinguitur, operatum est.

10. Ex hac doctrina inferendum est corollarium oppositum corollario prioris sententiæ, nempe hoc sacramentum dum in stomacho perseverat non auget gratiam ex opere operato, tamen si dispositio actualis crescat. Tum quia Christus dominus ipsum manducanti gratiam promissit. At non ipsum manducas, cum in stomacho retines, sed cum ex ore ad stomachum traicis. Tum quia sequeretur cæteris paribus vtilius tibi esse grandiori hostia hoc sacramentum recipere, quia erit occasio, vt aucta dispositione non solum ex opere operantis, sed ex opere operato gratia augetur, quæ tamen non augetur si in minima quantitate hoc sacramentum recipies. Deinde sequeretur te peccatorem mortaliter ex tempore, quo verosimiliter credis Christum in stomacho assistere, speciale peccatum sacrilegij committere, si curi si sacramentum in peccato mortali recipies, quia obicem ponis facramento, ne suum effectum operetur. Quinimo si in peccato recipies, neque de peccato doleres non solum habitualiter, sed etiam actualiter peccares toto eo tempore, quo sacramentum in stomacho retines, quia obicem ponis illius effectui. Quæ et si ab aduersariis admittantur creditu difficilia sunt.

11. Secunda difficultas satis inter Doctores controuersa est, an tibi communicanti sub vtraque specie panis, & vini deo abundantior gratia, quam si sub vna tantum specie communicare. Negant communiter Doctores cum D. Thom. qu. 80. art. 12. ad 3. & ibi Caietan. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 23. Hentiq. lib. 8. cap. 8. num. 2. & cap. 44. num. 2. Agid. de Coninch. quæst. 79. art. 1. dub. 2. num. 34. & 26. Suar. disp. 63. sect. 6. & disp. 72. sect. 1. 2. & 3. Bonac. plures referens disp. 4. q. 1. p. 4. num. 5. Mouentur ea præcipua ratione. Sumens plures formas ideo non recipit abundantior gratiam, quam si minimam particulam sumeret, quia eadem est virtus sub vna, & sub pluribus, cum sub vna, & sub omnibus totus sit Christus, à quo Eucharistiæ sacramentum habet effectum. At sub speciebus panis, vel vini idem est Christus contentus, ac est sub vtraque specie. Ergo eundem effectum gratie recipit communicatus sub vna, ac sub duplici. Neque inde sit sumptionem calicis sacerdotibus inuilem esse, tamen si nullum effectum gratie ex vi illius sumptionis consequantur. Quia possunt illum consequi se ad illum consequendum disponentes, cum tamen panem caelestem indispõsi sumperint, & præterea possunt nouis actibus se disponere, qua dispositione posita sentiunt Agid. Suar. & Bonac. supra nouam gratiam concedi. Adde esto Sacerdotibus sumptio calicis vtilis non esse in calu, quo ritè panem caelestem sumperint, ac Ecclesiæ semper vtilissimum est, tum ad honorem diuini cultus, tum ad perfectionem sacrificij.

12. Cæterum verius censo sumptione vtriusque speciei abundantior gratiam concedi, quam sub vna tantum tamen si dispositio suscipiens non augetur, sic docet Ale-

Ford. de Castro sum. Mor. Paris. 1 V.

xand. Alenf. 4. p. quæst. 32. memb. 1. art. 2. aliis qu. 11. art. 10. §. 3. ad 2. Gaspar Calaleus lib. 2. de cœna, & calice Domini. Arborcus in c. 6. Ioann. Ruard. art. 15. §. respondeo. Clemens VI. in bulla ad Regem Angliæ an. 1341. alferens sub vtraque specie communionem illi concedere, vt gratiæ augmentum perciperet. Valq. disp. 215. c. 2. n. 5. & probabilem reputat Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 12. Hentiq. lib. 8. de Euchar. c. 44. in comment. §. 5. Bonac. disp. 4. q. 1. p. 4. circa finem. Suar. disp. 63. sect. 6. in medio. & alij. Fundamentum est, quia negari non potest sic potuisse Christum hoc sacramentum instituire, vt per cuiuslibet speciei sumptionem distincta gratia communicetur. At sic fuisse institutum inde conuincitur. Primò, quia Christus Dominus Ioann. 6. vtrique speciei, & cuiuslibet ex illis gratiam promissit. Qui manducat me viuet propter me, & iterum qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Secundò quia est distinctum partiale sacramentum, & distincta sumptio non solum physica, sed moralis, sicuti est distincta consecratio vnius speciei, & alterius. Tertio quia vtraque species significat perfectum conuiuium, perfectamque refectionem, quæ sola manducatione, vel potu perfici non potest, sed necessario manducatione, & potu constare debet. At si sumpta specie panis, & gratia ex vi illius communicata nullus gratiæ effectus sumptione vini concederetur, hoc sacramentum non significaret conuiuium, & completam animi refectionem, quia solum significaret gratiam reficientem animam per modum cibi, sed non per modum potus. Neque his obstat, quod quælibet gratia famem expellat, & sitim extinguat, quominus distincta per species panis, & vini debeat communicari, vt vtraque species sumentem reficiat, & perfectum conuiuium representet. Quarto hic modus institutionis & diuinam bonitatem decet, & sacramenti dignitatem commendat, & animos auctos efficacius conciliat. Quintò nullum inde inconueniens inferretur, siquidem Ecclesia priuando laicos calicis communionem, nullo fructu necessario ad salutem eos priuat, sicuti dixit Trident. sess. 21. cap. 1. sed eos priuat hoc abundantiori fructu, tum ob reuerentiam debitam sacramento, tum in commendationem dignitatis sacerdotalis, præcipue cum laici prædictum fructum compensare sapius sub specie panis communicando.

13. Fundamentum oppositæ sententiæ faciliè dissolues negando solam Christi continentiam esse causam, ob quam pluribus hostiis non communicetur abundantior gratia, quam vnicæ particula. Sed quia non est moralis distincta sumptio, nec distincta gratia promissio, quæ tamen omnia in communionem sub vtraque specie contingunt, vt præbatur est.

14. Tertia difficultas est, an effectus gratiæ, qui communicari debebat hoc venerabili sacramento, nec tamen communicatur ob indispõtionem suscipientis, sublata indispõtionem communicetur, sicuti diximus communicari suscipienti baptismum, vel penitentiam indebitè sublata indispõtionem? Respondeo verius esse non communicari consumptis speciebus, quia nullum est firmum fundamentum, ex quo colligi possit hæc abundans communicatio. Non enim necessaria est, cum iterari sapius possit hoc sacramentum, & illius debita sumptione fructum amissum reparari, quod in sacramento baptismi, & penitentia non procedit. Adde non esse credendum sacerdotem quotidie in peccato communicantem, & iudicium sibi manducantem ob penitentiam in fine vite consecuturum omnem gratiam, quam ex opere operato obrinisset, si dignè semper communicauisset. Atque ita sustinet Suar. disp. 63. sect. 10. Hentiq. lib. 1. cap. 25. n. 7. lit. T. Agid. de Coninch. q. 62. art. 1. dub. 5. num. 78. Vide dicta tract. 18. de sacram. punct. 9. num. 6.

§. II.

Expenduntur reliqui Eucharistiæ effectus.

1. Hoc sacramento à mortalibus præseruamur.
2. Peccata venialia remittuntur.
3. Remissio pœna temporalis non est proprius effectus huius Sacramenti.
4. Speciali dulcedine animæ recreare effectus est Eucharistiæ.
5. Vnio cum Christo, & aliis fidelibus effectus est Eucharistiæ.
6. Præter dictos effectus nullum alium comparatione corporis in hac vita aliqui Doctores concedunt.
7. Sed quatuor debent concedi. Primus esse corpus nostrum quodam modo sanctificatum.
8. Secundus moderari ardorem concupiscentia.
9. Tertius vnio substantialis cum Christo.
10. Quartus resurrectio, & gloria.

1. Præter gratiam habitualem alios effectus huic tanto sacramento Doctores tribuunt. Primus esse antidotum, quo à mortalibus præseruamur, sicuti dixit Trident. sess. 21.

F 3 sess. 21.

sess. 21. cap. 2. Præservamur autem mediis auxiliis à Deo ob huius sacramenti debitam susceptionem concessis, quibus excitamur, & movemur ad opera virtutis, & roboramur ad tentationes vincendas & diaboli insidias superandas, & forte ob hanc causam dictum est Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, id est, non habebitis vitam in vobis perseverantem: est enim hoc sacramentum ad perseverandum in gratia adultis moraliter necessarium, tamen absolute necessarium non sit. Quod si iniquitas que auxilia ex vi huius sacramenti suscipienti concedantur, an sufficientia tantum, an efficacia: Respondeo & sufficientia concedi abundantiora, quam concederentur Eucharistia non recepta, & sæpe efficacia iuxta divinum beneplacitum. Dixi sæpe, sed non semper, aliàs rite semel communicans peccare mortaliter non potest, & in gratia esset confirmatus. Quinimo ea auxilia efficacia, que Deus decreverat suscipienti ipsum tribuere, de facto non tribuit, quia se indignum reddidit. Auxilium namque decretum erat concedendum, nisi impedimentum suscipiens sacramentum apposuisset.

2. Secundus effectus huius sacramenti assignatus à Trident. sess. 13. cap. 2. & habetur cap. vtrum sub figura, & cap. si quis sit sanguis de consecrat. dist. 2. est peccatorum venialium remissio. Qualiter autem hunc effectum Eucharistia operetur difficultate non caret. Nam vel peccata venialia remittit, quatenus illorum detestationem excitat, & charitatem accendit, & eo casu non immediate, & per se, sed mediate, hoc est media detestatione, & in Deum amore, hanc remissionem operatur, vel peccata remittit immediate per se, & hoc videtur impossibile. Tum quia nullum peccatum remitti potest absque illius penitentia, & detestatione. Tum quia habitualis gratia huius sacramenti effectus non pugnat cum peccatis venialibus, sed illis perseverantibus stare potest. Dicendum ergo est utroque modo venialia peccata, quorum non habes complacentiam ex vi huius sacramenti tibi remitti. Sic docet D. Thom. *quæst. 79. art. 4. & ibi Didac. Nun. concl. 1. Egid. de Coninch. num. 54. & 55. Bonac. disp. 4. de Sacram. q. 3. pun. 6. §. 3.* Primò namque remittit peccata excitando illorum detestationem, nam cum proprius huius sacramenti effectus sit suscipientem cum Deo intimè venire, cui vnioni non leuiter obstant venialia peccata, necessarium ab illis liberare debet saltem excitando illorum detestationem, qua peccata venialia tolluntur. Verùm cum hæc remissio non tam ex ipso sacramento, quam ex actu charitatis, vel penitentia proveniat, nequaquam Eucharistia vt proprius effectus concedi potest, & casu quo esset concedendus, non distingeretur a primo effectum, qui est auxiliorum concessio ad opera virtutis & peccata præcauenda. Quocirca alius est assignandus modus distinctus, quo venialia peccata ex vi huius sacramenti remittantur, vt venialium remissio effectus proprius sit huius sacramenti. Modus autem hic est, vt sacramentum rite susceptum vi sua remittat omnia peccata venialia, que suscipiens commisit, quorumque complacentiam non habes. Neque his obstat, quod nullum peccatum remittatur absque illius detestatione saltem virtuali, quia eo ipso quo vis Eucharistiam suscipere, vis charitatem augere, & intimis coniungi, & hæc voluntas est quadam peccatorum venialium virtualis detestatio. Quæ licet ex se sufficiat ad venialium remissionem, medio sacramento suscepto sufficit.

3. Tertius effectus est remissio pænæ temporalis pro peccatis debita. At hic effectus, vt bene D. Thom. quem omnes sequuntur *q. 79. art. 5.* non directè, & immediate, sed indirectè, & mediate ex hoc sacramento provenit. Quod pænæ temporalis remissio ex hoc sacramento directè non proveniat inde constat, quia pænæ temporalis non obstat feruori charitatis, ad cuius augmentum fuit Eucharistia instituta. Et præterea, quia sacramentum vt tale solum suscipienti prodest, non aliis. At si ex opere operato, & directè pænæ debitas pro peccatis remitteret, prodesse quidem posset aliis, indirectè tamen, & mediate pænæ temporales remittit tum excitando actus charitatis, quibus satisfacimus, tum remittendo venialia, & consequenter aliquam pænâ ipsi venialibus debitam. Notanter dixi remissionem pænæ temporalis non esse effectum proprium Eucharistia quatenus est sacramentum, vt insinuaem esse posse illius effectum, quatenus est sacrificium, quia in illius remissionem sacrificium offertur.

4. Quartum effectum huius sacramenti tradidit Clemens V. in Concil. Vienn. Clement. *de reliquiis, & venerat. Sanctor.* nempe speciali suauitate, & dulcedine animum recreare iuxta illud: Pinguis est panis Christi, & præbebit delectas regibus. Ob cuius causam dixit Pontifex in suprad. Clement. In hoc sacramento omne delectamentum esse, & omnis saporis suauitatem ipsamque dulcedinem Domini degustari. Constat autem hæc suauitas, & spiritalis dulcedo, præcipuè in quadam animi promptitudine ad quælibet res diuini obsequij peragendas hilari animo, & ceteri vo-

luntate. Quod si hanc suauitatem, & deuotionem non sentis, time ne forte indignus accedas. Fateor tamen sæpe hunc effectum impediri. Tum quia mente vaga, & alienis curis distractus hoc sacramentum suscipis, tum quia aliquibus peccatis venialibus affectus exilis, que deuotionem, & feruorem charitatis impediunt.

5. Quintus effectus, qui ex supradictis omnibus sequitur est vnio specialis, quam suscipiens habet cum Christo, & aliis fidelibus, iuxta illud Ioann. 6. In me manet, & ego in eo; & Paul. 1. Corinth. 10. Vnum sumus, qui de vno pane, & vno participamus. Constat autem hæc vnio non solum in gratia habituali, remissione venialium, & præseruatione à mortalibus vi sacramenti concessis, sed præcipuè in vinculo charitatis, & mutua beneuolentia, quia Christus hominem prosequitur suo corpore alitum, & sustentatum & homo ipsum Deum, reliquosque fideles de eodem corpore, & sanguine participant.

6. Præter hos effectus, qui voluntati, animæque inhærent, nullum alium admittunt comparatione corporis in hac vita. Turrecrem. in *e. in Christo pater de consecrat. dist. 2.* Scotus in *4. dist. 11. quæst. 2. art. 5.* quibus fauent Cyrill. Hierosolym. *cateches. 1. mystagog.* Cyprian. *serm. de caena Domini.* Damascen. *lib. 4. de fide cap. 14.* Quia hoc sacramentum non ad nutriendum corpus, sed animam est institutum: iuxta illud. Qui manducat me, viuet propter me. Neque vilius effectus promissio, quæ ad corpus in hac vita videtur dirigi, facta est: quem ergo effectum in corpore habere potest.

7. Dicendum est quatuor præcipuos habere. Primum necessarium sequitur ex huius sacramenti susceptione, nempe corpus nostrum esse quodammodo sanctificatum, & sacrum. Si enim linea, & vasa sacramentum continentia ex illo contactu sanctificata redduntur, cur non corpora nostra, quibus arctius sacramentum coniungitur? Merito ergo Chrysostr. *hom. 3. super illa verba 2. Corinth. cap. 13.* Salutate inuicem in osculo sancto, inquit. Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Domini. Ex qua dignitate *hom. 83. in Mattheum.* optime inferit. Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruementi sacrificio! Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc diuidentem! Os quod igne spiritali repletur, linguam que tremendo nimis sanguine rubescit! Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris.

8. Secundus effectus Eucharistia est moderari ardorem concupiscentia, & peccati fomitem. Sic D. Thom. communiter recepit, *quæst. 79. art. 6. ad 3.* Suar. pluribus exornans *dist. 64. sect. 1. concl. 2. Egid. de Coninch. quæst. 79. art. 8. dub. vlt. numero 62.* Hunc effectum Eucharistia operari potest primo alterando corporis temperamentum, temperando inquam calorem nimium, & feruorem sanguinis, quo libido excitatur: quam remissionem ipsum sacramentum operari potest, tum applicatione diuinæ virtutis, tum applicatione alicuius causæ naturalis, ex qua hæc fomitis mitigatio sequatur. Secundò fomitem peccati mitigare potest Eucharistia excitando in phantasia imaginationes, & representationes ad bonum, & auerendo cogitationes à malo, & in ordine ad hunc finem separando occasionem, que prauum motum excitare possunt illaque offerendo, que ad bonum possunt inclinare. Et hic effectus inter auxilia gratia computari debet. Sed quia circa corpus versatur, & ex intentione mitigandi peccati fomitem conceditur, ea de causa inter effectus corporis computatur. Etenim hoc sacramentum institutum est ad præseruandum suscipientem à peccatis moralibus. At huius præseruationis medium aptissimum est ardorem concupiscentia mitigare. Concedendus ergo illi est hic effectus. Aduerte tamen non concedi pro omnibus occasionibus, sed iuxta Domini beneplacitum. Tum ne cogamur affirmare semel suscipientem dignè Eucharistiam nullas graues tentationes carnis sentire posse. Tum quia hic effectus sæpe impeditur ob aliquod peccatum postea commissum, aut ob aliquam irteuentiam sacramentum factam.

9. Tertius effectus, qui communiter à sanctis Patribus enumeratur est vnio substantialis cum Christo non solum per effectum, vt supra explicuimus, sed re ipsa, vt dixit Chrysostr. *hom. 61. ad populum Antioch. & hom. 46. in Ioann.* & alibi sæpe. In quo autem hæc vnio consistat? non est facile explicatu. Nam certum est non consistere in aliquo physico, & reali vinculo, quo ex homine, & Christo vnum fiat. Alias mutaretur Christus, quoties in hoc Sacramento homini communicatur. Neque item hæc vnio consistit tantum in locali præsentia, & propinquitate, quam Christus habet cum suscipiente, quia hæc solum durat eo tempore, quo species sacramentales immutatae perseverant, & in homine peccatore esse potest. Dicendum igitur est hanc vnionem moralem esse, & mysticam, consistere in eo quod speciali affectu, & amore, quo Christus hominem prosequitur, & homo Christum, Christus se homini tradit in cibum, & potum. Ex qua affectuosa traditione moraliter censetur communicans, & Christus vnum esse. Si enim

enim maritus, & vxor ex commixtione voluntaria corporum censentur fieri vna caro, quid mirum quod Christus Dominus vnus cum communicante fieri censetur, cui se intimo affectu, & voluntate coniungit, quemque suo corpore facit, & sanguine recreat. Peccatori autem non vnitur, nam esto illi praesens sit, non se illi in spiritualem cibum, & animae refectionem ex effectu tradit. Sed contra suam voluntatem in illius iudicium, & condemnationem coniungit.

10. Quartus effectus est resurrectio, & gloria corporis, quam beati consecutus sunt post diem iudicii: iuxta illud Ioann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, seu viuet in aeternum: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Promittitur ergo communicantibus resurrectio, & vita aeterna. Hi effectus, esto promissi sint omnibus decedentibus in gratia, quia omnes resurgere debeant, & vitam aeternam cum Christo consequi, specialiter communicantibus promittuntur, vt pote qui sunt Christi per communionem specialia membra. Omnibus igitur ritè communicantibus, & in gratia decedentibus conceditur resurrectio, & vita aeterna, non solum ob gratiam habituales, in qua decederunt, sed etiam ob Eucharistiam dignè susceptam, idè quod resurrectio, & vita aeterna effectus est ritè gratia habitualis, cum sacramenti. Sic Suar. *disp. 64. sect. 2. Egid. de Coninch. q. 79. art. 8. dub. unico.*

PUNCTUM X.

Qui sint huius sacramenti susceutores.

1. Tres sunt modi suscipiendi hoc sacramentum.
2. Solus homo hoc sacramentum praedictis modis suscipere potest.
3. Homo non baptizatus capax est Eucharistiae spiritualiter tantum recipienda.
4. Homo baptizatus peccator sacramentaliter tantum recipere Eucharistiam potest.
5. Baptizatus iustus sacramentaliter, & spiritualiter sacramentum recipit.
6. Infantibus, & perpetuo amentibus non conceditur Eucharistia.
7. Qualiter amentibus, qui aliquando rationis usum habuerint, concedenda sit Eucharistia.
8. Qualiter semisatus.
9. Qualiter mutis, & surdis à natiuitate.
10. Qualiter energumenis, seu obsessis à demone.
11. Qualiter pueris rationis usum habentibus.

1. Praemittendum est ex Trident. *sess. 13. cap. 2. & sess. 22. cap. 6. & ex Catechismo Py V. vbi de hoc sacramento, & ex variis decretis, praecipue cap. qui distordat. cap. qui manducat. cap. quid est. cap. sanctum. cap. credere, de consecrat. disp. 2. & ex D. Thom. communiter recepto *quæst. 80. art. 1.* tres esse modos, quibus hoc sacramentum suscipi potest. Primum sacramentaliter tantum, quando solum sacramentum, & non eius effectus suscipitur, vt sumit peccator, qui cum sacramentum suscipiat, non illius effectum, sed sacramenti iudicium suscipit. Secundo spiritualiter tantum, id est quoad effectum sacramenti, qualiter sumit iustus desiderium habens suscipiendi sacramentum. Hoc autem modo non proprie sacramentum suscipitur: sed opatur suscipi, idè quod D. Thom. huac modum suscipiendi sacramentum omittit. At quia per illum effectus sacramenti, scilicet augmentum gratiae acquirunt, reliqua Doctores asserunt eo sacramentum spiritualiter suscipi. Tertio vtroque modo & sacramentaliter, & spiritualiter, id est cum sacramentum, & effectus illius suscipitur, vt contingit hominibus iustis, & sanctis communicantibus.*

2. Dicendum est solius hominis esse hoc sacramentum aliquo ex praedictis modis suscipere. Sic D. Thom. ab omnibus receptus *quæst. 8. art. 2.* Et quidem de creaturis irrationalibus constat manifestè. Nam esto aliquando hostiam consecratam comederint, nec sacramentaliter comederunt, sed materialiter, neque illius fructum consequuntur, cum tam fructus, quam sacramenti incapaces existant. Solum de Angelis est aliquis dubitatio, an hoc sacramentum, vel sacramentaliter, vel saltem spiritualiter tantum (hoc est in desiderio) suscipere possint? Sed dicendum est non posse. Tum quia ipsi capaces non sunt augmenti gratiae. Tum & praecipue, quia hoc sacramentum non pro Angelis, & beatis, sed solum pro hominibus in hac vita degentibus institutum est. Ergo nullus alius praeter homines sacramenti sumptione operare absolute potest: atque adeo nullus alius sacramentaliter, vel spiritualiter tantum capax illius est.

3. Secundo homo non baptizatus capax est Eucharistiam spiritualiter tantum recipiendi, sed non sacramentaliter. Priorem partem probo, quia antequam baptismum re ipsa suscipias, gratus Deo esse potes, & votum habere, suscepto ba-

prius Eucharistiam recipiendi, quod votum quia ab homine grato procedit, meritotum est augmenti gratiae. Ergo est huius sacramenti spiritualis manducatio. Haec cum in fructuoso desiderio huius sacramenti sita est. Secunda pars est manifesta, quia nemo capax est vllius sacramenti recipiendi, nisi in Ecclesiam Christi fuerit ingressus, & illius membrum factus. Hoc autem fit per baptismum omnium sacramentorum ianuam, & generationis spiritualis principium. Ergo non baptizatus incapax est Eucharistiae sacramentaliter recipienda. Neque obest Innocent. III. in *e. veniens de baptismo*, vbi expressè dicit à non baptizatis Eucharistiam sumi posse. Nam vt explicat Suar. *disp. 62. sect. 3. in fine.* non affertur sed disparando haec dixit, vel locutus est de materiali, & corporali somptione, non autem de sacramentali.

4. Tertio homo baptizatus peccator sacramentaliter tantum hoc sacramentum suscipere potest. Nam esto desiderium habeat suscipiendi Eucharistiam excluso peccato; qui tamen desiderium illud habet tempore, quo est in peccato nullatenus eo augmentum gratiae spiritualis proprium effectum obtinere potest. Neque ergo spiritualiter communicare, sacramentaliter autem communicat, quia vtrumque sacramentum recipit in sui iudicium, & condemnationem, vt dixit Paul. 1. Cor. 11. & tradidit D. Thom. *q. 80. a. 3.*

5. Quarto homo iustus baptizatus quicumque sit & sacramentaliter, & spiritualiter Eucharistiam suscipere potest, quia vt ex sequenti puncto constabit ad augmentum gratiae proprium effectum Eucharistiae sola gratia habitualis in suscipiente requiritur. Ex quo fit infantes baptizatos, & perpetuo amentes, si Eucharistia illis concedatur, gratiae augmentum percepturos esse, sicuti multis docuit Suar. *disp. 62. sect. 4.* etenim antiqua fuit consuetudo, teste Trident. *sess. 21. cap. 4.* & Toletano concilio vndecimo, *e. 11.* concedendi paruulis Eucharistiam, quae non concederetur nisi illis prodesset. Neque obstat praedictam consuetudinem abrogatam esse, quia id factum est ob reuerentiam tanti sacramenti. Et ita sufficient pluribus realis Valq. *disp. 212. cap. 2. Egid. de Coninch. q. 80. art. 9. num. 77.* Suar. *suprà.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. quæst. 1.*

6. Superiunt quaestiones. Prius, an infantibus, & perpetuo amentibus concedi possit, & debeat Eucharistia saltem in mortis articulo? Et quidem nullam esse obligationem, & necessitatem administrandi Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, (& idem est de perpetuo amentibus) docuit expressè Trident. *sess. 11. cap. 4.* ea euidenti ratione ductum. Quia per baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. An verò expediens sit saltem in articulo mortis his Eucharistiam ministrari? Nonnullam habet difficultatem, eo quod non videatur congruum sacramenti fructu in perpetuum priuare eum, qui illius capax est. Sed omnino dicendum est prudenter praedictos excludi à participatione huius sacramenti. Nam cum hoc sacramentum illis necessarium esse non possit, & ex alia parte frequenter adfit irreuerentiae periculum, merito Ecclesia eos à tanti sacramenti participatione excludit. Atque ita docent S. Thom. *q. 89. art. 9. ibi Egid. num. 72.* Valq. *disp. 212. circa finem.* Henric. *lib. 8. e. 42.* Suar. *disp. 62. sect. 4. in fine.* & *disp. 69. sect. 2.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. q. 1. & 3.* Bonac. *disp. 4. de Eucharistia. q. 6. pun. 1. in princ.*

7. Secunda quaestio, an possit, & debeat concedi amentibus, quia aliquando rationis usum habuerunt? Dicendum est extra mortis articulum non posse, nec concedi debere, bene tamen in mortis articulo. Sic Valq. Henric. Egid. Suar. Laymann. & Bonac. *locis allegatis.* Priorem partem probo, quia extra mortis articulum nulla est Ecclesiae consuetudo concedendi iis amentibus Eucharistiam. Tanti enim sacramenti reuerentia postulat, vt extra casum extremae necessitatis non concedatur Eucharistia iis qui nequeunt se ad illius susceptionem actuali deuotione disponere. Adde frequens periculum irreuerentiae aequè esse in amentibus, siue post vsum rationis in amentiam inciderint, siue nunquam vsum rationis habuerint. Quod vero in extremo periculo possit, & debeat iis amentibus Eucharistia concedi, probat manifestè textus ex concil. Carthagin. 4. relatus in *e. iis qui in infirmitate 16. qu. 6.* vbi praebent signa penitentiae, & postmodum in amentiam incidenti praecipitur ori eius infundendam Eucharistiam: & cap. *qui recedant eadem causa*, & *quæst. ex concil. Arausico.* dicitur. Amentibus quaecumque sunt pietatis concedenda sunt, & in concil. Tolet. 11. *can. 11.* id ipsum expressè supponitur, cum dicat puniendos non esse eos, qui acceptam Eucharistiam retereant, si constet mente alienatos esse. Ratio est, quia his amentibus Eucharistia necessaria ad salutem esse potest, videlicet, si peccato mortali grauati in amentiam inciderint attriti. Deinde qui aliquando rationis vsum habuit, & pie vixit eo ipso censetur velle sibi applicari remedia ad salutem necessaria, vel maxime vilia, atque adeo virtualiter, interpretatiue Eucharistiam petere. Quae rationes nullatenus militat in infantibus, & perpetuo

rud amentibus Eucharistia in mortis articulo denegatur, conceditur tamen illis, qui aliquando rationis usum habuerint.

Aduerte hoc intelligendum esse casu quo non constat peccato mortali grauatim in ameniam incidisse. Secundum nisi spes moralis sit ante mortem usum rationis recuperaturum, quia tunc reuerentia sacramenti expostulat illud tempus expectare. Tertio ne probabile sit periculum alicuius sacramenti irreuerentiae, eaque de causa consultum erit prius vnam, vel alteram hostiam non consecratam amenti porrigere: ut ex illius sumptione colligi possit quid facturus sit, cum hostia consecrata illi conceditur. Sic Suar. *disp. 69. sect. 2. verserium dubium*. Zambran. *de Eucharist. dub. 4. num. 5. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. q. 3. Regid. quæst. 76. art. 9. num. 74.*

8. Tertia quæstio de semifatis, & plenum usum rationis non habentibus qualiter concedi possit, & debeat Eucharistia? Respondeo, si facta diligentia non valent distinguere hunc caelestem cibum à profano, inter absolutè amentes sunt computandi. At si illum satis distinguant, & reuerenter, & tanquam sibi necessarium expostulant, concedi illis debet non solum in mortis articulo, sed etiam tempore Paschatis, quia credendum est hoc præcepto eos astringi, cum supponamus illius notitiam habere, & peccandi libertate pollere. Extra hæc tempora non illis debet Eucharistia concedi ob tanti sacramenti reuerentiam: Sic docuit Posselinus *de communione. cap. 8. num. 32. Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 4. quæst. 3. in fine. Bonac. disp. 4. de sacram. Euchar. q. 6. p. 1. n. 7. Henriq. lib. 8. cap. 42.*

9. Quarta quæstio, qualiter mutis, & surdis, à natiuitate Eucharistia ministrari possit, & debeat? Respondeo, si ex signis, & nutibus constat discretionem habere, qua sufficienter hunc cibum caelestem à profano distinguant, non solum in mortis articulo, sed etiam tempore Paschatis Eucharistia concedenda est, quia his est valde necessaria tum ad augmentum gratiæ, tum ad præcauenda peccata futura. Neque necessarium est, ut perfectè qualitatem huius cibi agnoscant, sufficit si illum ita à profano distinguant, ut tanquam remedium suæ salutis accipiant. Credendum enim est hac notitia Christum contentum esse, cum perfectior haberi non possit. Sic relato Abbate *in cap. cum apud. num. 6. de sponsalib. tradit Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. quæst. 4.* Quod si prudens confessorius non qualemcumque discretionem, sed maturam, & perfectam agnoscat habere mutum, & surdum, sicuti ego aliquem agnouit non solum tempore Paschatis, sed aliis solemnioribus festiuitatibus, poterit Eucharistiam concedere, quia nulla apparet ratio, ob quam sit deneganda, cum se ad illam suscipiendam per actualem deuotionem disponere possit. Notanter dixi mutis, & surdis. Neque addidi cæcis. Nam si supradictis duobus impedimentis hoc tertium adderetur, nullatenus crederem Eucharistiam etiam in mortis articulo ministrari posse, quia incapaces existunt tanti cibi dignitatem, & excellentiam cognoscendi. Colligitur ex his quæ tradit Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 8. à num. 12. ex Gutierrez. de matr. cap. 8. à num. 5.* Hi enim Doctores aliis relatis docent mutum, & surdum contrahere matrimonium posse, sed si simul cæcus existat.

10. Quinta quæstio procedit de emergentibus, seu oblectis à dæmone. Et quidem si constat oblecti illi, quem refert Paul. 1. Corinth. 5. traditum esse Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret, nullatenus est Eucharistia ministranda ob defectum dispositionis in suscipiente. At si credatur à dæmone oblectos esse, vel in penam alicuius delicti commissi, tamen quoad culpam remissum sit, vel ad sui maius meritum, & purgationem, ut frequenter contingere credendum est. Aduertere debes, an priuatur usu rationis, an sui compotes existant. Si vsum rationis priuatur, iudicium ferendum est æquè de illis, ac de amantibus. At si sui compotes sunt, concedenda illis est Eucharistia seculo, irreuerentia periculo non solum in mortis articulo, (de quo non est dubium, ut definit concil. Elibert. can. 37. his verbis: Qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, & fideles fuerint, dandam eis esse communionem) sed etiam in Paschate, imo aliis temporibus, ut loquitur Timotheus Alexand. *in suis responsionib. cap. 3. & refertur. 6. 2. bibliotheca sacra: Fidelis* (inquit) qui à dæmone corripitur, si mysterium non enunciet (hoc est nisi doceat alios, quæ à dæmone ipse didicit) neque vlla alio modo blasphemet debet participare fieri mysterium, hoc est Eucharistia, & tradit D. Thom. *quæst. 80. art. 9. Cassian. collat. 7. cap. 30. concil. Arausian. 1. cap. 14. Petr. Thiræus de demonib. 2. p. cap. 28. Sorus in 4. disp. 12. quæst. 1. Suar. disp. 69. sect. 2. Valq. disp. 112. cap. 4. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. quæst. 5.* Ratio illius veritatis est, quia Eucharistia susceptione vel dæmone expellitur, vel saltem in vexando frenabitur, vel denique inuabitur emergentibus, ut patienter, & cum fructu suum laborem sustineat. Frequentia huius communionis arbitrio

prudens confessoris relinquatur. Crederem solemnioribus festiuitatibus satis esse concedi.

11. Quæstio sexta de pueris usum rationis habentibus, an statim illis possit, & debeat communio concedi? Et quidem in articulo mortis Eucharistia sub obligatione est concedenda eo ipso, quo usum rationis habeant, distinguereque possint hunc cibum à profano. Quia non solum vtile, sed fortè necessarium ad salutem esse illis potest. Sic Suar. *disp. 70. sect. 1. in fine. Henriq. lib. 8. cap. 42. in fine. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. quæst. 2.* tamen solum ex consilio censetur Nauarr. *cap. 21. num. 57.* illis esse Eucharistiam concedendam extra mortis periculum. Communiter Doctores censent perfectiorem usum rationis requiri ad Eucharistiam suscipiendam eo qui sufficiens iudicatur ad peccandum, & absolutiorem à peccatis obtinendam, quia ex vna parte penitentia est simpliciter necessaria, quæ tamen non est Eucharistia, & ex alia Eucharistia nobilior est. Quid ergo mirum, si perfectiorem usum rationis in suscipiente expostulet? Sic Suar. Nauarr. *ex Layman. supra. Valq. disp. 214. cap. 4. circa finem.* Cæterum ego existimo eum usum rationis, qui sufficiens est ad peccandum, & abolutionem à peccatis obtinendam sufficere, ut Eucharistia ministrari possit. Nam esto penitentia sit magis necessaria, quam Eucharistia, & Eucharistia nobilior. At longè difficilior est dispositio ad penitentiam fructum obtinendam, quam ad obtinendam fructum Eucharistia: cum ad penitentiam confessione peccatorum dolorosa requiratur cum proposito de cætero non peccandi. At ad Eucharistia fructum sola voluntas suscipientis existens in gratia, sufficit. Qui ergo usum rationis habet sufficientem ad excitandum supernaturalem dolorem, & illius obligatione pro sacramento penitentia suscipiendo cognoscendam, usum rationis sufficienter habebit, ut distinguere possit hunc cibum caelestem à profano, & illius essentiam agnoscere.

Verum etsi hoc ita sit non credo ipsos pueros statim obligari nec humano, nec diuino præcepto, neque parochos obligatos esse illis sacramentum concedere, sed vnum, vel alterum annum expectari posse, ut eorum iudicium, & discretio exactius cognoscatur, & maiori cum fructu, & reuerentia Eucharistiam diu optatam, & peritam suscipiant. Sic Suar. *dicta disp. 70. sect. 1. post. med. Eman. Saà, verbo Eucharistia num. 12. edit. Romana. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 4. q. 2. Valq. disp. 214. cap. 4. à num. 46.* Quod si roges, quando censentur pueri discretionem sufficientem habere, ut ad Eucharistiam suscipiendam sint obligati? Respondeo prudentis Confessoris iudicio esse relinquendum: aliqui enim pueri ita sunt perspicacis ingenij, & accurata disciplina instructi, ut ante decimum annum sufficienter censentur discretionem habere, ut hanc obligationem subeant. Regulariter autem nemo ante decimum annum obligari censendus est. Quinimo. Nauarr. *cap. 21. num. 57. Cordub. in summa casu. 60.* placet viros ante 14. annum, & feminas ante 12. nunquam obligari. Duo vero credo certa sæpè pueros rationis usu, & discretionem ad Eucharistiam sufficientem polentes excusari ab obligatione eam suscipiendi, quia à parentibus, vel confessoribus non permittuntur, ipsoque parentes, & parochos excusari ex consuetudine, quæ ratio ante decimum annum Eucharistiam alicui ministrat. Nauarr. *cap. 21. num. 57. Eman. Saà, verbo Eucharistia num. 12. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. c. 4. quæst. 2.* Aliud est pueris, qui nondum 14. annum attingent non deesse frequentiore communionem, quam mensuram. Tum ob reuerentiam sacramenti. Tum ut excitentur ad seruentiis, & auditiis Eucharistiam suscipiendam.

P V N C T U M X I.

De dispositione ex parte animæ ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum.

1. Debes te reputare iustum.
2. Qua certitudine hoc sciendum est.
3. Peccatum veniale in sumptione Eucharistia non impedit illius præcipuum effectum.
4. Impedit alios effectus.
5. Habitale peccatum non est impedimentum.
6. Soluitur fundamentum quo probatum erat peccatum veniale impedire præcipuum Eucharistia effectum.
7. Plures requirunt ad effectum Eucharistia deuotionem actualem.
8. Contrarium verius est.
9. Soluuntur fundamenta opposita.

1. **F**ides, ratioque naturalis posita Eucharistia institutione docet quemlibet obligatum esse, antequam ad Eucharistiam accedat se reputare iustum, Deoque gratum. Nam cum hoc sacramentum institutum sit ad nutriendum, & roborandam spirituale animæ nostræ vitam, illam per se supponit. Qui ergo peccatis mortuus ad illud suscipiendum accedet,

deret, fini, institutioneque sacramenti contrarius esset, ideoque monet Paul. I. Corinth. 11. iudicium sibi manducare, & bibere, qui absque praedicta probatione de pane illo edit, & de calice bibit, vt latius prosequitur Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11.

2. Quod si roges quam certus esse debeas nullo te peccato mortali grauari, cum ad Eucharistiam accedis? Respondeo, si certus moraliter sis nullo grauari peccato non confesso, eo quod nullum tibi occurrat post factam tua conscientiae diligentem examinationem, securus accedere potes, quia certitudo mortalis quamlibet humanam actionem à temeritate excusat, & prudentem reddit. Neque aliam maiorem certitudinem expostulari decebat à Christo Domino, cuius iugum suauis est, & onus leue, vt bene notauit Aegid. de Coninch. quest. 80. art. 4.

3. Praeter carentiam peccati mortalis Marfil. in 4. q. 6. art. 4. carol. 7. requirit ad huius sacramenti dignam sumpcionem, ne peccatum aliquod veniale in ipsa committas. Quia eo ipso (inquit) te indignum reddis tanto sacramento. Fautent huic sententiae Doctores, qui actualem deuotionem, & feruorem expostulant pro dispositione necessaria huius sacramenti, de quibus infra: siquidem actualis peccati venialis commissione deuotio, & charitatis feruor impeditur. Ratio huius sententiae esse potest, quia sumpcio sacramenti peccaminosa Deo est ingrata. Neque ergo ob ipsam augmentum gratiae concedi, alias eadem actione, qua peccati temetur, praemium gratiae, & gloriae obtineremus.

Ceterum tenendum est actuale peccatum veniale in sumpcione Eucharistiae commissum non impedire illius effectum praecipuum, qui est augmentum gratiae, & charitatis. Sic docuit D. Thom. quest. 79. art. 8. Soto dist. 12. quest. 2. art. 8. Victoria num. 66. Suarez. alius relatis dist. 63. sect. 3. concl. 1. Valq. disp. 206. cap. 1. Paul. Laymann lib. 5. tract. 4. cap. 6. q. 1. & habetur cap. 5. non sunt tanta peccata, de consecrat. dist. 2. ibi: si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non le debet à medicina corporis, & sanguinis Domini separare. At ob veniale peccatum nemo potest excommunicari excommunicatione maiori, de qua ibi est sermo. Ergo ob eius causam à medicina corporis, & sanguinis Domini separari non debet. Ratio est, quia ex institutione Christi, vt colligit Trident. sess. 13. cap. 7. solum ad Eucharistiam dignè suscipiendum requiritur, vt confitens peccati mortalis se per confessionem, & contritionem illius probet, nulla peccati venialis mentione facta. Et merito, quia peccatum veniale nec gratiae, nec illius augmento repugnat. Ergo peccatum veniale in sumpcione commissum dispositionem sacramenti legitimam, & necessariam non impedit. Ergo neque impedit eius effectum. Deinde implicat, cum dicis peccatum veniale impedire sacramenti effectum. Nam si hoc impedimentum praeserat non veniale, sed mortale erit, siquidem recepta est Doctorum sententia obicem ponere sacramenti effectui graue peccatum esse, ob irreuerentiam factam sacramento eius virtutem, & efficaciam elidendo. Denique raro effectus gratiae per Eucharistiam obtineretur, cum raro contingat saeculares homines à veniali excusari, tum ob distractionem, animique euagationem, tum ob finem finitum, tum ob prauium affectum. At non est credendum Christum Dominum velle suae charitatis symbolum ob has leues causas inane reddi.

4. Notanter dixi actuale peccatum veniale non impedire praecipuum effectum Eucharistiae. Nam alios effectus secundarios ex parte impedit, vt tradit D. Thom. quest. 79. art. 8. impedit enim remissionem ipsius, quae per sacramentum ex opere operato deberet fieri. Secundo impedit deuotionem, & charitatis feruorem. Tertio specialem liquiditatem, & dulcedinem, quam experiri solent deuotè communicantes; est enim illa indignus. Quarto plura auxilia gratiae ad praecauenda peccata denegantur, quae alioqui concederentur: ob quas causas forte dixit quasi per exaggerationem August. de Ecclesiast. dogmatib. cap. 53. relatus in cap. quotidie de consecrat. dist. 2. si adhuc habes voluntatem peccandi, grauari magis dico. Eucharistia perceptione, tum ob purificari, & ne de voluntate peccandi mortaliter dictum intelligeres subdit. Sed de hoc illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant.

5. Praeterea dixi actuale peccatum: nam habituale etiam si formaliter non fueris deestitatus, si tamen illius complacentiam non habes; communionem quae est quaedam virtualis deestitatio remittitur ex opere operato, vt superius notauimus.

6. Fundamentum contrarium non obstat. Eateor susceptio nem Eucharistiae cum peccato veniali actuali esse aliquatenus Deo ingratam, sed non absolute, & secundum se, ideoque eius efficacia ex opere operato non impeditur, tamen si efficacia, quam ex opere operantis haberet, impediatur.

7. Causas alij plures, grauesque Doctores ad Eucharistiae effectum suscipiendum requirunt necessario actualem deuotionem, & feruorem, Sic D. Thom. in 4. dist. 12. quest. 2.

art. 1. questio. 3. Duran. d. q. 4. num. 7. Paludan. quest. 1. art. 2. concl. 1. num. 11. Siluest. verbo Eucharistia in fine. Caiet. q. 79. art. 1. Mouentur primò, quia plures Ecclesiae Patres, specia liter Basil. lib. 1. de baptis. cap. 11. & in regul. breuior. reg. 172. Ioan. Hierosolym. 1. catechesi 4. mystagog. Chrylost. hom. 82. in. March. expostulant specialem deuotionem, & feruorem ad Eucharistiam suscipiendam ob eius excellentiam, & dignitatem, & remissionem animi detestantur. Secundo Eucharistia operari debet suos effectus iuxta modum suae significationis. Significat autem spirituale nutrimentum per modum cibi, & potus. Ergo operari debet suos effectus, sicuti cibus, & potus. At cibus & potus non operantur, nisi sumens vitaliter, & actualiter concurrat ad illius operationem. Ergo cibus celestis non operabitur, nisi sumens ad illius operationem actualiter concurrat, quod fieri non potest, nisi medijs aliquibus actibus virtutis, atque adeo deuotione, & feruore. Tertio ab inconueniente probat Caiet. quia si augmentum gratiae, & charitatis ex defectu deuotionis non impeditur, Sacerdotes tepidi quotidie communicantes magnum fructum ex communi one percipiunt, cuius contrarium experientia testatur, cum ad virtutis opera, & tentationesque superandas post plures communionem aequè difficiles inueniantur, ac si nullam communionem fecissent.

8. Nihilominus tenendum est nullam deuotionem actualem requisitam esse ad fructum praecipuum huius sacramenti percipiendum: Sic expressè D. Thom. quest. 79. art. 8. & ibi Aegid. de Coninch. dist. 1. num. 4. Valq. disp. 206. cap. 2. Suarez. disp. 63. sect. 3. concl. 2. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. q. 1. Ratio praecipua sumitur ex Trident. sess. 13. cap. 7. vbi assignans dispositionem ad hoc sacramentum suscipiendum, nullam huius actualis deuotionis mentionem fecit. Quae si necessaria esset, nullatenus omitteret. Secundo probari potest, olim Eucharistia concedebatur paruulis ante usum rationis, & modò conceditur amentibus in articulo mortis, vt dictum est. At si deuotionem actualem habere non possunt, ergo deuotio actualis ad effectum sacramenti suscipiendum necessaria non est. Alias nullatenus Ecclesia permetteret iis sacramentum concedi. Est enim manifesta iniuria, & irreuerentia sacramento facta inane, & vacuum illud reddere, & sine fructu. Tertio iustus omittens inuincibiliter, & absque culpa actualem deuotionem pro huius sacramenti receptione, obicem non ponit gratiae augmento, quia iam probatus accedit ad dignè suscipiendum probatione à Paulo requisita: Ergo deuotio actualis non est dispositio necessaria. Quarto si defectus actualis deuotionis impeditet efficaciam sacramenti, peccater mortaliter qui sic voluntariè ad sacramentum accederet, eo quod grauem irreuerentiam sacramento irroget eius virtutem elidendo. At neque Caiet. neque alij Doctores oppositae sententiae admittunt carentiam actualis deuotionis esse peccatum mortale. Ergo deuotio actualis pro augmento gratiae non est necessariò requisita. Quintò nullatenus expedire posset hanc deuotionem vt necessariam expostulari, quippe ob inaduententiam, & distractionem inuoluntariam frequenter omittitur etiam ab hominibus maxime iustis, & religiosis. At non est verisimile, nec de Christi amore credendum se instituisse sacramentum suae Ecclesiae praecipuum, vt in plurimum suo effectu careret.

9. Argumenta oppositae sententiae facilia sunt: Ad primum concedo Sanctos communiter expostulare deuotionem, & feruorem non vt necessarium ad effectum sacramenti suscipiendum, sed vt maxime conuenientem; sacramentum vberius operetur, & fructuosius existat. Ad secundum admitto Eucharistiam operari suos effectus iuxta suae significationis modum, atque adeo per modum cibi, & potus, non qui conuerteratur in substantiam aliam, sed qui alium in se conuertat, ideoque est cibus, & potus materialis & corporalis suscipientis actione indigeat ad nutriendum: hic cibus, & potus caelestis ea actione non indiget. Ad tertium nego ex experientia colligi certò posse sacramentum fructu carere. Nam esto saepius communicans aequè difficilis sit ad opera virtutis, & ad tentationes superandas, inde argumentum non sumitur, quia facilitas ad supra dicta opera non ex augmento gratiae, & charitatis, sed ex habitibus acquisitis prouenit.

PUNCTUM XII.

De Confessione Communioni praemittenda.

1. Praemittere debet Confessionem peccati mortalis conscius.
2. Plures firmiter ex solo Ecclesiae precepto hanc esse obligationem.
3. Verius est à Christo preceptum latum esse.
4. Omnium peccatorum confessio est praemittenda.
5. Ab executione huius precepti excusari, si absit copia confessoris, & necessitas urgeat communicandi.
6. Quando censentur abesse copia confessoris.

7 Quando

7. Quando censetur urgere necessitas communicandi latè explicatur.
8. Debes te reputare contritum.
9. Sacerdotes celebrantes non praemissa confessione quando teneantur, cum primum possint, confiteri.
10. Post peccatum commissum, & dolorem conceptum, & confessionem factam, non est necesse tempus aliquod expectare ad communionem.

1. Trident. Concil. sess. 13. cap. 7. statuit grauatam peccato mortali si communionem suscipere velit, non solum contritione, sed confessione sacramentali se probare debere, iuxta praeceptum Pauli: Probet se ipsum homo consuetudine Ecclesiae declaratum. Quapropter audiendum non est Caicet. in sum. verbo *communio in princ.* & super 1. ad Corinth. cap. 11. asserens nullum esse praeceptum neque diuinum, neque Ecclesiasticum praemittendum confessionem, si peccator contritus sit.

2. Variant doctores, an hoc praeceptum diuinum sit, an Ecclesiasticum? Plures Doctores affirmant solum Ecclesiasticum esse. Sic Medin. Cod. de confess. q. 17. Polac. in 4. dist. 9. quæst. 10. ad 1. Nauarr. sum. cap. 21. num. 49. & alij. Fundamentum est, quia ex natura Eucharistiae etiam supposita institutione confessionis, solum habetur te Deo gratum esse debere, quia eo ipso capax es gratiae augmenti, cum gratiam habeas. At absque praemissa confessione pores media contritione in gratia constitui. Ergo ex natura rei confessio necessaria non est. Quod si dicas esse necessariam, quia securius confessione purgaberis à peccato, contritio namque difficilis est, obstat: quia teneris securiorem viam eligere, alias ad reliqua sacramenta suscipienda conscius peccati mortalis confessionem eligere deberes. Satis enim vitatur sacramenti irreuerentia, si certus moraliter sis à peccato purgatum esse, & in gratia constitutum. Ex verbis autem Pauli consuetudine Ecclesiae declaratis, non inferitur à Christo latum esse praeceptum de confessione praemittenda: Paulus namque praecipit communicaturo, vt se probet; an autem haec probatio non solum facienda sit per contritionem, sed etiam per confessionem ipse Paulus non declarauit, sed consuetudine Ecclesiae ipso facto declaratum fuit. Sicuti praeceptum est diuinum communicandi, quod autem singulis annis communicatio facienda sit, consuetudo Ecclesiae declarauit. Adde Paulum illud praeceptum imposuisse non quidem vt à Christo acceptum, sed vt à se latum. Nam esto in principio dixerit se accepisse à Domino consecrationis formam, &c. nunquam dixit modum probationis à Christo accepisse.

3. Ceterum verius est obligationem praemittendi confessionem de peccato mortali commissio diuinam esse, à Christo statutam, & à Paulo traditam, & promulgatam. Sic Dominie. Sotus in 4. dist. 12. q. 12. art. 4. Valen. 1. 4. dist. 6. quæst. 8. pun. 3. Couarru. in cap. alma mater. 1. p. §. 1. num. 7. Cordub. lib. 1. q. 16. in 3. opin. Suar. disp. 66. sect. 3. in medio. Henric. lib. 8. cap. 46. Valq. disp. 207. cap. 4. à num. 40. & alij. Ratio est quia vt ex Trident. sess. 13. cap. 7. constat, consuetudine Ecclesiae declaratum est Paulum tradidisse praeceptum de praemittenda confessione illis verbis: Probet autem seipsum homo. At Paulus non tradidit hoc praeceptum vt à se latum, sed vt à Christo acceptum, quod non leuiter colligitur: primo ex illis verbis antecedentibus. Ego enim accipi à Domino quod & tradidi vobis, quae omnia ad frequentiam videntur referri. Secundo ex eo quod Corinthios reprehendat, quod absque praedicta probatione cibum illum caelestem manducarent, qui certe reprehensione digni non erant, si praeceptum de confessione praemittenda antea traditum non esset. Tertio quia illud proponit peccato mortali grauatius vt vnicum remedium vitandi communionem indignam, quod verum non esset, si praeceptum de confessione praemittenda à Christo latum non vigeret: possunt enim sola contritione rite disponi.

4. Sed inquires, an praecipio praedicto sufficienter satisfacias, si confessionem praemiseris, tamen si non fuerit omnium peccatorum ob inuincibilem ignorantiam? Calus est frequens, cum saepe contingat peccatorem post confessionem legitime factam recordari ante communionem alicuius peccati non confessi, in quo casu alicui videri posset non esse obligatum illud confiteri. Quia iam illud peccatum non solum contritione, sed etiam absolutione sacramentali remissum est. Sic videtur sentire Reginald. lib. 2. cap. 6. num. 105. Sed contrarium omnino tenendum est cum Suar. disp. 66. sect. 4. vers. sed huius occasione. Henric. lib. 8. cap. 46. num. 3. in fine. Aegid. q. 80. art. 4. dub. 2. in princ. Quia illius peccati obliti non es probatus per confessionem, siquidem obligatus es illud confessioni subicere. Concilium autem expostulat probationem per confessionem cuiuscumque peccati mortalis, cuius conscientia grauaris. Ergo illud ante communionem confiteri debes.

5. Ab executione huius praecipii praemittendi confessionem execularis, si non adit copia confessoris, & necessitas

communicandi vigeret, vtrumque enim concurrere debet, vt aduertit Trid. sess. 13. cap. 7. Difficultas autem esse quod censetur copia confessoris non esse, & necessitas communicandi vigeret.

6. Copia igitur confessoris abest. Primum si ita te distet vt nequeas illum absque graui incommodo adire, quod prudentis arbitrio iudicandum est. Aliquando enim spectata tua imbecillitate, & breuitate temporis in quo celebrare debes, distantia quinquaginta passus constituit confessorem absentem, qui tamen alias non conseretur abesse distans per leucam, vt bene notarunt Valq. disp. 207. cap. 2. num. 9. Aegid. de Coninch. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 13. Bonac. disp. 4. de sacram. q. 6. p. 1. num. 30. Secundò censetur abesse, si praesenti confiteri non possis absque prudenti periculo vel violationis sigilli, vel prouocationis ad malum, vel alterius grauis nocimenti: Iugum enim Domini suauis est, quod non est censendum impositum cum tanto onere. Sic Aegid. de Coninch. dist. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 19. Valq. disp. 208. cap. 2. num. 3. Bonac. q. 6. pun. 1. num. 28. Aduertunt tamen praedicti Doctores, si alia peccata mortalia habeas, ex quorum manifestatione praedictum damnum non times, te esse obligatum ea confiteri, quia sic praestas confessionem formaliter integram, & praecipio de confessione praemittenda ante communionem satisfacis. Tertio abest copia confessoris, si nullus adit qui iurisdictionem habeas, aut cui iurisdictionem ex privilegio concedere possis, quia deficiente iurisdictione penitentiae sacramentum ministrari non potest. Sic Bonac. Aegid. & Valq. locis citatis. Hinc fit si peccato mortali reueruato tenearis, & nullo alio, te non esse obligatum vrgente necessitate communicandi confessionem praemittere, si abis proprius sacerdos, quia comparatione mortalium, quorum est obligatio confessionem praemittendi nullus adest sacerdos qui iurisdictionem habeat. Aegid. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 21. Verum si aliis mortalibus non reueruatis grauatius existas, esto aliqui nec improbabili ter celesant te non esse obligatum confiteri, quia obligatus es bis eadem peccata reueruata clauibus subicere. primo sacerdoti non habenti iurisdictionem, cui ea manifestare debes simul cum aliis mortalibus non reueruatis, vt confessionem integram facias; secundo superiori, à quo illorum absolutionem directe obtinere debes. At verius existimo te esse obligatum confessionem praemittere saltem illorum, quae reueruata non sunt. Quia latius probabilis sententia est, haec sola confiteri posse taceatis reueruatis, qua probabilitate opinionis posita, & praecipio praemittendi confessionem fit satis, & nullum lequitur inconueniens. Atque ita sustinent Aegid. supra. Bonac. disp. 4. quæst. 6. punct. 1. n. 31. Suar. disp. 63. sect. 4. casu 4. Eman. sa. verbo Eucharistia num. 13. & alij. Moment tamen praedicti Doctores & bene, nunquam censendum esse copiam confessoris abesse, eo quod abis sacerdos cui soles deuotius, & feruentius confiteri, si adit cui legitime confiteri possis.

7. Necessitas verò communicandi, quae simul cum absentia confessoris concurrere debet, vt à praemittenda confessione excuseris multiplex à Doctoribus assignatur. Prima à Doctoribus assignata, & quam solum Valq. disp. 108. cap. 2. num. 7. legitimam recognoscit, est timor prudens alicuius notae, & infamiae, vel alterius grauis damni tibi, vel alteri euenturi, si communionem omittas. Secunda, si vitiatum esset, mortuero ministrandum, & nulla esset hostia consecrata, quia vigeret grauis proximi necessitas, quae tanquam propria reputari debet. Si enim in periculo mortis posses, & deberes absente confessario vitiatum sumere confessionem non praemissa, ne tanto bono priueris, ob eandem rationem omittere confessionem poteris, ne tanto bono proximus in extremo constitutus priueris. Sic Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quæst. 2. vers. tertium. Aegid. de Coninch. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 15. Bonac. disp. 6. q. 6. pun. 1. num. 21. & 22. Valen. disp. 6. q. 8. p. 3. Suar. disp. 66. sect. 4. vers. prima.

8. Tertia sumitur ex reuerentia sacrificij, vt si sacerdos inchoata Missa recorderet alicuius peccati mortalis non confessi, docent plures non teneri ad altari discendere, vt confessorium quaerant, quinimo nec confessorio ad altare accedenti fateri. Quia esto nota & infamia sacerdoti non sequatur, quae vix excusari potest, vt bene notat Valq. disp. 208. cap. 2. & Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quæst. 2. sacrificium inceptum non deest interrompere, praecipuumque de communionem praemittenda intelligendum videtur ante communionem inchoatam. Sic D. Thom. q. 83. art. 6. ad 2. Nauarr. cap. 21. num. 49. & cap. 25. n. 76. Sotus in 4. dist. 12. q. 2. art. 6. Henric. lib. 8. cap. 46. n. 3. Coninch. ex parte q. 80. art. 4. dub. 2. n. 16. Rectius tamen alij hanc excusationem non admittunt, calu quo absque nota possit celebrans confessorium vocare, etque ad altare accedenti breuiter confiteri, quia non debet censeretur ea confessio indecens sacrificij intermissio, cum ad ipsum sacrificium rite peragendum referatur. Sic Valq. loco citato Bonac. disp. 4. q. 6. pun. 1. num. 15. praecipuum cum ex variis causis maxime ante consecrationem soleat sacrificium interrumpi. Nunquam tamen credo te obligatum esse Missam inchoatam

inchoatam deserere, quia cedit in non leuem sacrificij irreuerentiam, vt docuit Nauarr. cap. 21. num. 49. Et cap. 25. n. 76. Bonavent. Victor. Sorus, quos refert, & sequitur Suar. disp. 66. sect. 4. vers. *difficultas*. Hinc colliges qualiter assensum ad licentiam cum aliis communicaturus teneris confessionem præmittere peccati mortalis, quod recordaris non esse confessum? Et quid. si eo loco posses absque nota fieri, videris obligatus, sed id moraliter est impossibile, eaque de causa monent communiter Doctores, ne sacerdos sic ad communionem dispositi confessionem excipiat. Quod si ab eo loco discedere absque graui nota posses, plures Doctores censent te obligatum esse, cum discessit ille in reuerentiam sacramenti cedat, ob cuius causam fit. Sic Aegid. 9. 80. art. 4. dub. 2. num. 15. Suar. disp. 66. sect. 4. Angles de Eucharist. q. 2. art. 10. difficult. 4. concl. 1. Bonac. disp. 4. de sacram. q. 6. p. 1. num. 17. Contarium docent Victoria de Eucharist. num. 79. Reginald. lib. 29. cap. 6. num. 105. quibus fauet Suar. disp. 66. sect. 4. vers. *secunda causa in fine*, quia si sacerdos formulam ad communionem conseruauit, vel pixidem sacrario eduxit, videris irreuerenter procedere, si ab eo loco discedas, sicuti indecentia esset recedere à mensa Principis conuiuio præparato, neque peractio. Sed quia hic recessus ob habendam dignam ad conuiuium dispositionem fit, verius censeo in illius irreuerentiam non cedere.

Quarta excusatio sumitur ex obligatione dicendi sacram, quæ ex triplici capite oriri potest, primo ex officio quale habent parochi, quibus incumbit, vel per se, vel per alios celebrare diebus dominicis, & festiuis, vt populus satisfaciatur præcepto audiendi sacram. Hi ergo poterunt (si alius non adit sacerdos eius vices gerens) celebrare non præmissa confessione omnibus illis diebus, quibus obligantur iustitiæ titulo, sacram populo facere. Quia ob peccatum sacerdotis priuari non debet populus iure quæsitio fruendi sacrificij fructu. Et hæc ratio probat hoc verum esse, tamen nullam infamiam notam ex omissione sacri sacerdos incurreret, quod vix est possibile: sic sustinet ex communi sententia Suar. disp. 66. sect. 4. vers. *ultima causa*. Bonac. disp. 4. q. 6. p. 1. num. 23. Hentiq. lib. 8. cap. 46. Hæc tamen doctrina extendenda non videtur ad eos, qui ratione capellanæ tenentur aliquibus signatis diebus celebrare, quia obligatio capellanæ non ita obligat diei, quin ex rationabili causa possit vna, vel altera vice in alium diem differri, vt nota Bonac. supra, tamen Hentiq. & alij contrarium sentiant. Secundo oriri potest obligatio dicendi sacram, vel communicandi in Paschate, quibus nisi celebres, satisfacere non potes. Vt enim his præceptis satisfacias videris posse sacram dicere non præmissa confessione, satis enim vrgens est necessitas, quæ tibi à lege imponitur. Sic Paludan. in 4. dist. 9. q. 4. conclus. 10. Sorus dist. 12. q. 1. art. 4. Vivald. de Eucharist. num. 123. Et hæc sententia quoad communionem Paschalem mihi probatur ea tantum ratione, quia videtur graue damnum irrogari, si à communionem illa publica, solemni, & communi aliis fidelibus, & ex Ecclesiæ præcepto necessaria acceris ob inopiam confessoris. Si enim ne priueris fructu annuæ confessionis, licet tibi iuxta probabilem sententiam omittatur integritatem confessionis alias ex iure diuino seruandam, à fortiori licet tibi ne priueris Eucharistiæ fructu omittere confessionem, quam non est ita certum ex iure diuino præmittendam communioni esse. Sic docet Aegid. de Coniung. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 17. Ob sacram verò ex obligatione audiendum, veltus existimo te non posse celebrare confessionem non præmissa. Neque enim te excusare potes à præmittenda confessione carentia fructus, quam ex sacrificio percipere posses. Hanc enim alio die facillè, compensa poteris absque illa indulgentia, aliàs posses quotidie celebrare nulla alia necessitate intercedente, ne priueris sacrificij fructu, quod nullus admittit. Neque item excusari potes ob satisfaciendum præcepto Ecclesiastico audiendi sacram, quia hoc præceptum non obligat nisi cū sacri peragi potest ritum ab Ecclesiâ præscripto. Non igitur ob hanc causam celebrare potes omnia confessione, & ita subitiner Aegid. supra. Suar. disp. 66. sect. 4. circa finem. Bonac. disp. 4. quest. 6. p. 1. num. 25. Filiucius. tract. 4. cap. 8. questio 4. num. 217. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 6. Tertio oriri potest potestas dicendi sacram absque confessione præmissa, ne proximus omittat præceptis prædictis satisfacere. Etenim cum debeas proximo amare sicut te ipsum, & tu exculeris à confessione præmittenda in celebratione, ne communionem Paschali, vt pote authentica necessaria, aliisque fidelibus communi priueris, & in probabili sententia, ne factum amittas in die festo. Ob eandem rationem excusari poteris, ne proximus ea communionem priueret, neque sacram in die festo omittat. Sed rectius Suar. disp. 66. sect. 4. vers. *sed quæret*, oppositum docet. Est enim longè diuersa ratio tui, ac proximi, charitas enim obligat, vt proximum quæ ac te ipsi diligas in damnorum negatione, secus in bonorum collatione, teneris namque nullum damnum proximo irrogare, sicuti vis ne tibi irrogetur; at non teneris ea bona proximo quærete, quæ tibi quæris; ac proinde mirum non est, quod possis

celebrare confessionem non præmissa ob communionem Paschalem percipiendam, & præcepto audiendi sacram satisfaciendum, nequeas tamen vt proximus communionem Paschalem percipiat, & præcepto Missæ satisfaciatur. Adde te excusari à confessione præmittenda in celebratione ob communionem Paschalem, quia obligatus es communicare eo tempore, & præceptum hoc vt pote publicum, solemne, & maxime vile, & fructuosum præuuleret præcepto de confessione præmittenda. At proximo ministrare communionem non est tibi præceptum, cum vt suppono illius parochus non sis, sed est opus supererogationis, & consilij. Ergo hoc opus præuulere non potest obligationi confessionem præmittendi ad communionem.

8. Aduertendum tamen est in omnibus prædictis casibus, quibus à præmittenda confessione excusaris, necessarium tibi esse conteri de peccato commisso: aliàs indignè ad sacramentum accedes; & iudicium manducabis. Nam esto hoc sacramentum aliquando attrito conferat primam gratiam, id fit si bona fide putans se esse in gratia accederet, secus esset, si accederet conscius peccati.

9. Verum ne sacerdotes sibi fingerent necessitatem celebrandi confessionem non præmissa, statuit concil. Aegid. sess. 13. cap. 7. in fine, sacerdotem conscius peccati mortalis, qui ob necessitatem vrgentem non præmissa confessione celebrat, obligatum esse quam primum possit confiteri. Cūque hoc præceptum rigorosum sit, esto maxime conueniens, non debet ultra proprietatem verborum extendi, arque ad eò solum sacerdotem peccati mortalis conscius necessitate vrgente non præmissa confessione celebrantem comprehendere debet, siue contritus, siue non contritus celebret. Quapropter sacerdos, qui sui peccati inuincibiliter oblitus celebraret non præmissa confessione, dicto præcepto non obligatur. Item neque qui extra necessitatem ex malitia celebraret, vel more laicorum necessitate vrgente communicaret confessionem non præmissa, dicto præcepto comprehendere potest, vt bene notant Suar. disp. 66. sect. 6. Et 7. Valq. disp. 208. cap. 3. à n. 16. Aegid. de Coniung. quest. 80. art. 4. dub. 2. Bonac. disp. 4. de sacram. quest. 6. p. 1. n. 37. Et seqq.

10. Aliqui Doctores non infimè notæ expostulant pro dispositione necessaria ad Eucharistiam suscipiendam, vt post peccatum commissum, & dolorem illius conceptum, & confessionem factam aliquod temporis spatium transierit, quia vix animus torporem, & euagationem, aliàsque peccati reliquias ita perfecte à se excutere poterit, vt ea puritate accedat, quæ tantum sacramentum debet. Sic docet Couarru. Clement. si furiosus 3. p. in princ. num. 7. loquens de sacerdote, qui pollutionem nocte habuit, quem dicit necessariò abstinere debere à celebratione eo die, si culpam in ea habenda habuit, consentit Mar. in 4. q. 6. art. 4. Sed est obligatio absque fundamento. Nam ad suscipiendam Eucharistiam concilium Trident. solum expostulauit in eo qui conscius esset peccati mortalis, vt contritione, & confessione illius se probaret nulla facta mentione de interuallo inter peccatum, & communionem. Quod si necessarium esset, nullatenus à concilio omittetur. Neque obstat sæpè animum non ita perfecte purgari per confessionem à prauo affectu per peccatum relicto, quominus ad sacramentum facta confessione legitima accedere possis, quia Deo gratus accedis, & sacramento purgaberis, cuius proprius effectus est sic charitatem augere, vt torporem animi excuriat. Et ita sustinet D. Tom. quest. 80. art. 7. ad 4. Et in 4. dist. 9. art. 4. quest. 3. ad 2. Nauarr. cap. 21. n. 51. Siluest. verbo Eucharistia 3. q. 10. Suar. alius relatus disp. 66. sect. 8.

PUNCTVM XIII.

De dispositione ex parte corporis ad sacramenti communionem.

1. Præter carentiam cibi, & potus nulla est per se requisita.
2. Qualiter pollutio habita communionem impediatur.
3. Qualiter copula coniugalitatis à communionem abstrahatur.
4. Consilium coniugibus salutare.
5. Eucharistia à ieiuniis est suscipienda.
6. Ab Apostolis hæc consuetudo emanauit.
7. Quale debet esse hoc ieiunium.
8. Quibus rebus non conseruatur ieiunium naturale violatum.
9. Illius diei tantum, quo sumenda est Eucharistia debet esse ieiunium.
10. Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum ieiunandi.
11. Ab hac obligatione ieiunandi eximitur extrema necessitas, seu communitio in articulo mortis.
12. In eodem periculo mortis negat Valq. se posse sæpè non ieiunium communicare.
13. Contrarium plures defendunt.
14. Quid sentiendum sit.

15. Potest.

15. Potest sacerdos ad se communicandum in articulo mortis non ieiunus communicare.
16. Ob ministrandum alteri viaticum non potes non ieiunus celebrare.
17. Ne irrenitentia sacramento fiat, potest non ieiunus communicare.
18. Item ob perfectionem sacrificij.
19. Item si post ablationem reperit aliquas particulas consecratas.
20. Duplex limitatio superiori doctrina apposta examinatur.
21. Si simul cum sumptione Eucharistia ieiunium violetur, non obstat sumptioni.
22. Ob gravem notam excusatur communicans violato ieiunio.

1. PRÆter carentiam cibi, & potus nulla alia ex parte corporis est dispositio per se ad communionem requisita, vt ex sequentibus patebit. Et in primis immunditia corporis communionem per se, & necessitudo non impedit, quia celestis & spiritualis cibus sola animi puritate contentus est. Si tamen illa immunditia facile tolli possit, non est dubium te peccatum committere sic sacramentum suscipiens, ob irrenitentiam mundissimo Christi corpori factam in corpore immundo suscipiens. Si tamen in tua non est potestate ab ea immunditia liberari, sicuti contingit leprosis, morbo gallico affectis, mulieribus menstruatibus, non obeinde à sacra communione abstinere debes. Neque his obstat, quod Dionys. Alex. in *Epist. ad Basiliden*, & habetur. t. 3. *bibliotheca sacra*, can. 2. de mulieribus menstruatibus statuerit, ne ad sanctam Missam accedant, quia id est de consilio, non de præcepto, idque si speratur communitio breui tempore absque illa macula suscipienda. Neque item obstat textus in *cap. tua nos de clerico egrotante*, vbi sacerdos lepra infectus propter horrorem, & abominationem populi ab officio administrationis remouetur, quia inde non inferitur secrete celebrare non posse.

2. De pollutione specialiter dubitant Doctores, qualiter communionem impediatur? Si plene voluntaria fuit, impedit quouisque illius penitentiam agas. Et idem est de fornicatione, & quolibet alio peccato mortali. At facta penitentia, & remissione per confessionem obtenta, nullatenus impedit, sicuti neque aliud quoduis peccatum: Sic docent post alios antiquiores *Suar. disp. 68. sect. 2. Valq. quest. 80. art. 7. & ibi Aegid. de Coninch. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quest. 5.* Consultum tamen est sic peccanti in alium diem communionem differre (nisi aliqua specialis causa communicandi occurrat) tum ob humilitatem, tum vt feruentius, & deuotius accedat, quia carnis voluptas non leuiter deuotionem impedit. Dixi si plene voluntaria fuit, nam si semiplene voluntaria extiterit & in causa solum venialiter peccaminosa, impedit communionem ex quadam decentia, & honestate, quouisque penitentia peccatum illud purgetur, esto simpliciter non impediatur, & in hoc sensu, vt explicat *Valq. quest. 80. art. 7. n. 2. 4.* dixit *August. serm. de tempore pollutionem peccati esse, sed non capitale, ieiunijque & orationibus redimendum esse, ne immundam faciat animam ad sacrum conuiuium.*

Si vero pollutio ex abundantia feminis, vel ex alia causa naturali contingit, nullatenus impedit communionem eo die faciendam. Sæpe enim opera demonis excitatur pridie ad communionem, vt à tanto sacramento pollutum auertat. Quod si ex pollutione commotio carnis insurgat, animusque perturbatus existat, consultum erit à communionem eo die abstinere, nisi aliqua causa communicandi specialis urgeat, vel credatur opera demonis prauum illum affectum excitari. Sic tradit *D. Thom. 3. p. quest. 80. art. 7. & ibi Aegid. de Coninch. num. 82. Suar. disp. 68. sect. 2.* Quinimo veniale erit peccatum ad communionem accedere nulla diligentia apposta ad eam commotionem carnis, & animi tentationem sedandam. Tum quia non leue impedimentum apponitur effectibus sacramenti secundariis recipiendis. Tum quia est indecens ea animi vagatione, & corporis impuritate Christi purissimum corpus recipere.

3. Ex hac doctrina inferes quid coniugibus dicendum sit? Et quidem si copula coniugalis ob voluptatem potius, quam ob sedandam carnis tentationem, filiosque gignendos habita est cum intentione eo die communicandi, esto simpliciter communionem non impediatur, quia peccatum mortale non est, impedit tamen ex quadam decentia, & honestate. Indecens enim est ad sacramentum communionem admitti qui carnis voluptati indulsit eo tempore quo cordis compunctione, & charitatis feruore se disponere debebat, eaque de causa dixit *Hieronym. apolog. ad Pamachium contra Iovinianum.* Illorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant, de qua te *Gregor. relatus in cap. vir. cum propria uxore 33. g. 4.* Quocirca consulendum ei est, vt in alium diem communionem differat, nisi aliqua specialis causa occurrat eo die communicandi, vel ita præteritæ culpæ doleat, vt dolore concepto plene culpæ satisfecisse censatur.

Si vero copula coniugalis ex legitimo fine, & ea moderatione qua par est habetur, nullatenus impedit communionem, quia est actus virtutis, vt habetur *dicto cap. vir.* Si tamen ex illa prauus affectus, animique vagatio resultet, diligenter sedanda sunt, ne copulorum fructum sacramenti impediatur. Quod si se in hac parte tepidum, & remissum sentiat, decet communionem in alium diem differre, nisi specialis aliqua causa communionem faciendam eo die occurrat.

4. Monent tamen Doctores expediens esse coniugibus nocte communioni proxima à debiti petitione abstinere, tum in reuerentiam sacramenti, tum vt vitetur occasio prauis affectibus, animique vagationis. A debiti autem ferid, & constanter petiti redditione abstinendum non est, quia & peccares contra iustitiam, & charitatem fæderes, rixas, & odia concitando. Quinimo si frequenter comunicas dominicus inquam, & festiuis diebus simplici petitioni non resistas, ne coniugis molestus sis, neue illius in te amore mitiges, & occasionem præbeas frequentem communionem interdicendi. Si autem singulis tantum mensibus Eucharistiam sumis, petentem debet decet commonere, & rogare, vt à petitione desistat ob reuerentiam sacramenti suscipiendi. Quod si ipse aegre ferat, annue, & maiori qua potueris deuotione te ad sacram communionem præpara, sperans diuinam gratiam absurtam non esse ob opus diuina, & naturali legi conforme, Vide *D. Thom. q. 80. art. 7. & ibi Valq. & Aegid. Suar. disp. 68. sect. 2. Sanchez. lib. 9. de matr. disp. 13. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. g. 5.*

5. Dixi initio nullam aliam dispositionem ex parte corporis esse per se requisitam ad summptionem Eucharistia, præter carentiam cibi, & potus. Consuetudine namque Ecclesie firmatum est sacramentum Eucharistia à ieiunio necessario suscipiendum esse. Sic habetur in *Concil. Carthagin. 3. can. 29. relato in cap. sacramenta altaris disp. 1.* & in *Concil. African. sub Bonifacio 1. can. 3. & in Matifconen. 2. can. 6. Bacharen. 1. can. 10. Bracharen. 1. can. 16. Tolet. 1. can. 2. quæ referuntur t. 1. & 2. Concil. Et licet solum de sacerdotum celebrare loquantur (excepto Matifconen. 2. quod generaliter loquitur) inde à fortiori pro comunione laicali Patres Ecclesie, & Scholastici omnes extendunt, vt videtur est specialiter apud *Chrysof. hom. 27. in epist. 1. Corinth. c. 11.* in illa verba: itaque quicumque manducauerit. Et apud *August. epist. 118. c. 9. & D. Thom. q. 80. art. 8. quem eius expolitor sequuntur, Valq. disp. 211. Suar. disp. 68. sect. 3. & seqq. Valen. t. 4. disp. 6. g. 8. pun. 3.* Rationem huius consuetudinis optime assignauit concilium Matifconen. 2. cap. illo 6. ne licet cælesti, & spiritali cibo terrenus præponeretur.*

6. Consuetudinem hanc ab Apostolis emanasse testatur *Epiphani. lib. 3. contra hæreses cap. vlt. circa finem. August. dicta epist. 118. cap. 9. Iidor. lib. de diuinis offic. cap. 18. Amalarius lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 34. V. Valfidius Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis relatus 6. 1. bibliotheca sacra. cap. 19.* Tamest in aliquibus Ecclesiis mos fuerit communicandi feria 5. in cena Domini post cibum sumptum ad Christi exemplum, vt colligitur ex *Concil. Carthagin. 3. can. 29. Matifconen. 2. can. 6. Bracharen. 2. can. 10.* Sed iam hic mos abrogatus fuit, & merito; quia Christum Dominum decuit prius vetus pascha huius sacramenti figuram cum discipulis manducare, & in illius interitum veritatem postmodum iustituere, & discipulis concedere, quæ nobis non conueniant. Igitur Apostoli in reuerentiam tanti sacramenti præceperunt, vt ante omnem cibum, & potum à fidelibus iuraretur, vt sic fideles intelligerent hunc cibum, & potum vapore summa dignitatis omni alio cibo, & potui præferendum esse. Neque huic Apostolorum præcepto aduerfatur præceptum Dominicum Apostolis traditum conficiendi hoc sacramentum, sicuti ipse confecit. Hoc facite (inquit) in meam commemorationem, quia solum fuit præceptum de conficiendo sacramento quoad ritum illius substantialtem, non quoad ritus accidentales. Hos enim Apostolorum dispositioni reliquit. Alias deberent Apostoli, reliquique fideles post esum Agni paschalis, Christi corpus conficere, & fumere.

7. Porro ieiunium hoc ex obligatione seruandum naturale, & perfectum esse debet, ita vt excludat cuiuslibet etiam minimi cibi, & potus vitalem summptionem, vt tradunt omnes Doctores cum *D. Thom. quest. 80. art. 8.* Quocirca parua quantitas cibi, & potus præcepti grauitatem non minuit, cum non ex leuitate cibi grauitatem præcepti desumatur, sed ex eo quod communitio fiat violato naturali ieiunio, quod minima quantitate cibi, æque ac magna violatur, vt manifestè colligitur ex *cap. ex parte. de celebrat. missar. & notauit Valq. disp. 211. cap. 3. num. 28. Aegid. de Coninch. q. 80. art. 8. n. 46. Suar. disp. 68. sect. 4. Bonac. disp. 4. de sacram. q. 6. pun. 2. n. 6.* Neque ad huius ieiunij violationem opus est quod cibus ad nutriendum, vel ad medendum assumatur, quia quocumque modo fuerit adsumptus vitaliter, naturale ieiunium destruit, vt docent Doctores citati. Postulant tamen aliqui esse verum cibum, vel potum, alias assumant non violari ieiunium naturale, cum nec per se nutrire, nec iuuare nutri-

tionem

tionem possit. Sic Ledelm. 1. p. sum. de Eucharist. cap. 13. concl. 4. Ioann. de la Crux in director. consciens. de Eucharist. dub. 4. concl. 2. Ludouic. de S. Iuan. 2. sum. tract. de Eucharist. q. 7. art. 10. fol. 172. Ioann. Sanch. in distict. selectis. disp. 42. num. 23. Sed rectius alij sentiunt ex quocumque re vitaliter ex ore ad stomachum traicta sine nutritia sit, siue non, vt papirus, chara, creta, frustum ligni, nummus aureus ieiunium naturale impediens communionem violari. Quia sic fumens ieiunus non est ab omni re. Quod ab Ecclesia postulari videtur in hoc precepto, vt fideles intelligant cibulter rei create hunc cibum esse preferendum. Neque eo casu sumptio celestis cibi esset prima comestio, cum alia precefferit, tamen rei non nutritia, quod ad comestionem non videtur necessarium, vt pote qua in traiectione vitali ex ore ad stomachum consistit. Atque ita docent Henric. lib. 8. cap. 49. num. 2. Reginald. 2. 2. prax. lib. 1. 9. num. 118. in fine. Naldus in sum. verbo Eucharistia num. 10. Nonius de Eucharist. quest. 80. art. 8. coroll. 4. Bonac. de sacram. disp. 4. quest. 6. pag. 2. num. 10. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quest. 6. num. 18.

8. Neque inde fit violari naturale ieiunium ex traiectione saliuarum, vel sanguinis ex maxillis, vel ex capite defluentis, quia non est traiectio alieui rei ad comedente extrinseca. Sic Suar. disp. 68. sect. 4. Bonac. quest. 6. pun. 2. num. 6. Layman. dicto cap. 6. num. 18. vers. ceterum. Quinimo deglutientem casu parum aquae, & vini saliuarum immixtum, cum os abluatur, vel parum liquoris, cum conditus cibus degustatur, censent communiter Doctores ad communionem non impediri, quia sic traiectionem non traicitur tanquam cibum, & potus, sed tanquam saliuarum, cui est immixtum. Secus esset dicendum, si ex proposito haec faceret. Sic Vasq. disp. 211. cap. 3. num. 29. Egid. de Coninch. quest. 80. art. 8. num. 48. Suar. Bonac. Layman. supra aduersus Tabien. verbo communicare num. 49. & 50. asserentem non violari naturale ieiunium, tamen ex proposito supra dicta in parua quantitate fumarit. De frustulis coenae praecedentis casu inter dentes adherentibus aliam rationem satis probabilem tradunt Suar. disp. 68. sect. 4. Henric. lib. 8. cap. 49. Egid. de Coninch. quest. 80. art. 8. Ob quam si deglutiantur etiam ex proposito, non impediunt communionem, nimirum quia illorum sumptio non est moraliter distincta a coena praecedenti. Neque inde fit iaccarum ori impostum praecedenti nocte, vt paulatim reliquum raucedinem factum, vel peccoris linitur non impedire communionem. si aliqua illius pars etiam minima post mediam noctem traicitur, impedit namque, quia illius traiectione ad traiectiones praecedentes reduci non potest, cum ex intentione fumens aequae singulae traiectiones respiciantur, velleque accari sumptionem durare, quousque consumptum sit, vt bene notat Egid. de Coninch. q. 80. art. 8. n. 49.

9. Rursus ieiunium illius tantum diei pro quo communicatio accipienda est, debet esse. Cum autem dies computatur a media nocte vsque ad mediam noctem, communicatio debet esse ieiunus ab illa media nocte, vsque dum communionem accipiat. Non tamen est necessarium cibum esse digestum tempore communionis, quia nullo precepto id cauetur, tamen decess sit, sicuti aliis relatis probat Henric. lib. 8. cap. 49. Suar. disp. 68. sect. 4. Vasq. disp. 211. cap. 3. num. 33. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quest. 6. vers. sciendum est secundo. Bonac. disp. 4. quest. 6. punct. 2. num. 11. aduersus Gloss. cap. nihil. 7. q. 1. & cap. si constituerit de necessitatibus. In quibus textibus Glossae opinio fundari non potest. Nam textus in cap. nihil nullam de digestionem cibi mentionem fecit. Textus vero in cap. si constituerit damnans clericum celebrantem postquam in tabernis rota nocte commoratus esset, non illum damnat, quia celebravit cibo non digesto, sed quia celebravit absque poenitentia, & satisfactione culpa commissae cum non leui populi offensione, & scandalo.

10. Post sumptam Eucharistiam nullum est preceptum ieiunandi, sed illico absque peccato potest cibum sumere. Nam textus in cap. tribus gradibus de consecrat. dist. 2. qui est Clement. ubi praecipitur sumpta mane Eucharistia seruari ieiunium vsque ad 6. & sumpta hora tertia, vel quarta seruari vsque ad vesperam consuetudine abrogatus est, vt docuit Durand. in 4. dist. 8. quest. 4. num. 16. Sorus dist. 12. quest. 1. art. 8. Vasq. disp. 211. cap. 1. num. 10. Suar. disp. 68. sect. 4. ad finem. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. in fine. Bonac. disp. 4. quest. 6. pun. 2. in fine quest. Verum esto seruire ieiunium preceptum non fuisse tamen maxime decess, quousque credantur species sacramentales consumptas esse, ne cibum ille celestis his terrenis, & materialibus miscatur. Sicuti etiam de certis statim post Eucharistiam sumptam expuas, maxime si spuarum ex pectore profluit. Quod si coactus necessitate id fecerit, praestat fieri in linteis, vel loco ad conculcationem remoto. Haec enim, & maior reuerentia tanto sacramento debetur, sicuti tradiderunt Sor. Suar. Vasq. Layman. Henric. Bonac. locis citatis.

Egid. de Castro. Sum. Mor. Pars IV.

11. Ab hac generali doctrina praemittendi ieiunium Eucharistiae suscipiendae excipiuntur aliqui casus, quos placet breuiter examinare. Primus est de periculo mortis, in quo constitutus si commodè Eucharistiam sumere non potes, ieiunus poteris post cibum, quia diuinum preceptum de sumenda Eucharistia, quod satis probabile est eo tempore videri, non est contemnendum ob obseruationem moraliter impossibilem precepti Ecclesiastici de seruando ieiunio ante communionem. Neque pietatem Ecclesiae deceret suo precepto fideles tanto bono priuare in ea necessitate constitutos, sicuti doctores aduertunt. sequentes D. Thom. quest. 80. art. 8. & colligitur ex cap. de his vero, cap. si quis de corpore 26. q. 5. & cap. presbyter de consecrat. dist. 2. & ex concil. Constantien. sess. 3. Quando autem censendum sit periculum mortis adesse, vt commodè ieiunus Eucharistiam sumere non possit, vel quia indiget alimento, vel medicinae sumptione, quam differre commodè non potes in horam post Eucharistiae sumptionem subsequenter, medicorum iudicio reliquitur. Monent tamen Suar. disp. 68. sect. 5. in princ. Egid. de Coninch. quest. 80. art. 8. num. 51. te non esse obligatum procurare, vt Eucharistia ante ortum solis deferatur, vt ieiunus sumas, quia neque id praxi receptum est, nec tanti sacramenti reuerentiam decet. Quod dictum est de periculo mortis naturalis, dicendum est de violenta. Si enim Eucharistiam sumere non potes ieiunus, quia iudex non permittit executionem sententiae tibi non ieiuno notificatam in alium diem differre, poteris eo die etiam non ieiunus Eucharistiam sumere, quia necessitas huius viatici ad caelestem vitam eadem, & forte maior est Suar. & Egid. supra Vasq. disp. 211. cap. 4. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. q. 6. num. 20. Eman. Saad verbo Eucharistia num. 2. Bonac. disp. 4. quest. 6. p. ult. numer. 23.

12. Sed est dubium an durante eodem periculo mortis possis saepius non ieiunus communicare: Dixi duvante eodem periculo, nam si cessauit periculum, ratione cuius communionem susceperis, & nouum successit, conueniunt Doctores te posse iterum viaticum non ieiunus accipere. Deinde conueniunt si sumpto viatico vno die velis aliis diebus ieiunus communicare, nulla lege te esse impeditum. Controuersia igitur ea est, an durante eadem infirmitate, eodem vel maiori periculo possis iterum viaticum non ieiunus accipere, si commodè ieiunus possis? Negat Vasq. disp. 211. cap. 4. a num. 37. motus ea ratione satis efficaci. Praeceptum est ab Ecclesia, ne vllus post cibum, vel porum Eucharistiam accipiat, neque sacerdotes pransis administrent. At ab hoc precepto excusatur constitutus in mortis periculo, qui non potest commodè ieiunus accipere ea solum ratione, ne sine sacramento moriatur, vt dixit D. Thom. quest. 80. art. 4. ob quam rationem non solum sacerdoti permittitur administratio, sed etiam obligatio imponitur in cap. presbyter de consecrat. dist. 2. quod est concilij VVarmauen. Sed sumpto semel sacramento cessat ratio, ob quam non ieiuno Eucharistia conceditur. Non enim decedet sine sacramento viatico. Ergo generale praecceptum de ieiunio communioni praemittendo vrget. Atque adeo constitutus in mortis articulo non poterit iterum post cibum, vel porum suscipere communionem, neque sacerdos poterit illi eam administrare.

13. Caeterum plures recentiores arbitrantur posse saepius in eadem infirmitate viaticum accipi a non ieiuno. Sic aliis relatis Siluest. verbo Eucharistia 3. §. 6. Tabiena verbo communicare §. 48. Armilla eodem numer. 18. Fumus verbo communicatio §. 18. Henric. lib. 8. cap. 50. n. 1. Suar. disp. 68. sect. 5. Egid. de Coninch. q. 80. art. 8. num. 53. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. q. 6. num. 20. Bonac. disp. 4. q. 6. pun. ult. num. 23. Fagundez de quinque Eccles. praecceptis de 3. Eccles. praec. lib. 3. c. 5. n. 20. Muentur, quia textus concedentes, constitutus in mortis periculo vt suscipiant Eucharistiam post cibum, vel porum, cum aliter suscipere commodè non possint, non limitant concessionem pro vna tantum vice. Non igitur est a nobis limitanda, praecipue cum pietatem Ecclesiae maxime deceat fauere hoc tam salutari beneficio iis, qui in tam graui, & extrema sunt necessitate constituti. Quod si roges quod dies inter communionem & communionem intermittere debent? Respondent Suar. Egid. Bonac. Fagundez, aliique communiter sex vel octo dies debere intermittere, quia id ad reuerentiam sacramenti pertinet.

14. Ego vero dicendum existimo vel sentiendum esse cum Vasq. vel affirmandum, non solum post sex, vel octo dies te posse iterum viaticum sumere, sed singulis diebus. Nam si constitutus in mortis periculo, vt praecitati Doctores affirmant, nulla est lex posita de praemittendo ieiunio communioni, cum datum omnibus sit singulis diebus Eucharistiam accipere, poterunt illam accipere non ieiunus, si ieiunium seruire non possunt. Necessitate vero tanti sacramenti singulis diebus habent morituri, vt quid ergo illo priuandi sunt? Poterunt ergo singulis diebus commu-

nicare

si aliter non possunt. Et ita sustinent Tabiena, & Armilla, casu quo mortuus post semel acceptum viaticum peccaret mortaliter, quod ablit. Henric. lib. 8. cap. 50. solum dicit non decere ob reverentiam sacramenti, si sepius communicare, tacite indicans solum esse minus conveniens, sed non illicitum. Eman. Saë, verbo *Eucharistia*. num. 5. & 34. edit. Roman. sine vlla imitatione inquit, posse sapius in eadem ægitudine infirmum etiam non ieiunum communicare, quoties expetere videtur. Laym. existimat, si aliquis assuetus est frequenter communicare, vel sacrificare: & propter deuotionem, ac desiderium difficile abstinere, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum sanctam Eucharistiam e manu sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodo mortis periculum instare videatur.

15. Quæ dicta sunt de communione, dici debent de sacrificio, posse inquam sacerdotem constitutum in mortis periculo sacrificare non ieiunum ad se communicandum, si commodè ieiunus facere non possit, sic relato Zambrano docet Layman. dicto lib. 5. tract. 4. cap. 6. q. 6. n. 20. Limitat tamen, nisi aliunde Eucharistiam habere possit. Quam limitationem non credo veram, quia præceptum de ieiunio seruandum ante celebrationem, non tam est propter consecrationem, quam propter communionem illi necessario annexam. Si igitur necessario communicatio suscipienda est à non ieiunus, parum refert quod suscipiatur illo sacerdote celebrante, vel e manu alterius communicante.

16. secundo dubitabis, an ob ministrandum viaticum mortuuro possis non ieiunus sacrificare, cum aliter ministrare non possis? Admittit Maior. in 4. dist. 9. q. 3. ad 5. quinimo addit ob hanc necessitatem posse sacerdotem sine vestibus, & luminibus, & in fermentato sacramentum consecrare. Sed est nimia licentia, & aliena à consuetudine Ecclesiæ. Quapropter ceteri omnes Doctores nullatenus eam facultatem sacerdoti concedunt: præstat enim ritum communem in consecrando hoc sacramento seruari, quam alicuius priuata necessitati succurrere, cui necessitati Ecclesiæ prouidit præcipiens Eucharistiam in sacratio seruari, ne ob defectum sacramenti fideles sine viatico decederent. c. presbyter de consecrat. dist. 2. neue sacerdotes prauis, & conuati ad consecrandum hoc sacramentum minus reuerenter accederent. Quæ prouidentia necessaria non esset, si sacerdos etiam non ieiunus consecrare sacramentum posset decurrente fidelis necessitate. Quod si aliquando hostia consecrata deficiat, quia rarum erit, non obinde ritus celebrandi ante cibum, & potum lege vniuersali stabilitus omitti debet. Atque ita docent Nauarr. cap. 21. num. 51. Henric. lib. 8. cap. 50. num. 1. & cap. 46. Suar. disp. 68. sect. 5. 8. nihilominus. Ægid. de Coninch. q. 80. art. 8. à num. 56. Valq. disp. 211. cap. 5. num. 61. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quest. 6. num. 21. Tblet. lib. 2. cap. 13. in fine. Bonac. disp. 4. quest. 6. pun. 2. num. 24. Hanc doctrinam limitat Zambrano. de Eucharist. cap. 3. dub. 6. num. 2. quem sequitur Layman. loco allegato, vt procedat casu quo infirmus aliud sacramentum penitentia, vel extrema unctionis recipere possit, nam si incapax sit alterius sacramenti recipiendi, censent secluso scandalo poss. sacerdotem non ieiunum sacrificare, vt communionem ei concedat. Sed nullatenus censeo hanc limitationem admittendam esse. Tum quia ceteri Doctores illius non meminerunt. Tum quia ratio adducta in probationem communis sententia, æquè in hoc casu procedit.

17. Secundus casus exceptus à generali lege seruandi ieiunium pro communione suscipienda sumitur ex reuerentia sacramenti. Si enim probabilis timor adsit alicuius irreuerentia, vel quia sacramentum in manus infidelium timetur aduenturum, vel quia ab animalis, vel ab igne consumendum, vel ab aliquo alio irreuenter tractandum, poterit non solum sacerdos, sed eo deficiente laicus non ieiunus sibi propriis manibus ministrare: quia quod in reuerentiam sacramenti statutum est, non debet in illius irreuerentiam cedere. Sic ex omnium sententia docet Valq. disp. 211. cap. 5. num. 57. Suar. disp. 68. sect. 5. Ægid. de Coninch. q. 80. art. 8. in fine. Fagundes. de Eucharist. lib. 3. c. 5. in fine. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. c. 6. in fine.

18. Tertius casus desumitur ex perfectione sacrificij, quod dupliciter contingere potest, primo si per inadvertentiam loco vini aquam infuderis, illamque sumptis. Secundo si facta consecratione recordaris ieiunum non esse. Tertio si sacerdos facta consecratione consumere sacrificium non potest, vel quia decessit, vel quia sensibus destituitur, in his enim casibus poteris, & debes etiam non ieiunus communicare, ne sacrificium imperfectum relinquatur. Lex enim consecrandi sacrificium perfectum præuolat legi de præmittendo ieiunio. Atque ita docent Valq. Ægid. Suar. Fagundes. Layman. locis alleg.

19. Quartus casus ad supradictum reduci debet, cum post peractum sacrificium, & ablationem sumptam reperis in patena, vel corporali aliquas reliquias consecratas, potes illas absumere, etiam si grandiscula sint, quia ad idem

sacrificium pertinet illarum consumptio. Sic Syluest. verbo *Eucharist.* 3. §. 8. Nauarr. cap. 25. num. 89. Soto in 4. dist. 12. quest. 1. art. 8. Suar. disp. 68. sect. 6. Henric. lib. 8. cap. 50. n. 2. Ægid. de Coninch. quest. 80. art. 8. n. 61. Valq. disp. 211. c. 5. à n. 50. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. c. 6. q. 6. circa finem n. 22. Bonac. disp. 4. q. 6. pun. 2. n. 12. & 13.

20. Duplicem limitationem huic generali doctrinae adhibent aliqui Doctores. Prima vt incontinenti post ablationem antequam orationes recitentur, particulae absumantur, aliàs non videtur illarum sumptio eadem esse moraliter cum sumptione ablationem precedente. Sic Syluest. loco allegato. Ceterum Valq. Suar. Ægid. Laym. hanc limitationem reprobant, censentque dum Sacerdos ab altari non recesserit, tamen si in ministrando Eucharistiam aliis se diu detinuerit posse prædictas reliquias absumere, quia dum sacerdos ab altari non recedit, ad ipsum pertinet posse consumere quod ibi consecratum est. Secunda limitatio est, vt particulae sint ex consecratis eo sacrificio. Aliàs earum sumptio non videtur ad idem sacrificium pertinere, & cum sumptione precedente ablationem, vnum efficere. Vnde si commodè asseruari possunt, seruandæ sunt: Sic docent Ægid. dicta quest. 80. art. 8. num. 67. Valq. disp. 211. cap. 5. num. 57. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. q. 6. num. 22. Suar. disp. 68. sect. 6. post. med. vers. ad primum. Bonac. disp. 4. q. 6. p. 2. num. 14. Fateor hanc limitationem consulendam esse, sed an sub graui culpa, mihi difficile est. Nam reliquiarum consecratio, & consumptio pertinet ad rationem sacrificij accidentariam, cum sine formarum consecratione, & sumptione perfectio sacrificij consistat: sola vnica hostia, & calice consecratis, & sumptis. Ergo si ob sacrificij complementum potest sacerdos post sumptam ablationem reliquias à se consecratas sumere, poterit similiter quæ ab aliis consecratae fuerint, siquidem earum sumptio æquè pertinet ad sacrificium. Item ad sacerdotem pertinet consumere posse non solum formulas à se consecratas, sed etiam quæ ab aliis sunt consecratae. Ergo vtraque consumere poterit, dum ab altari non recedit, quia dum est in altari non censetur moraliter finita consumptio, nec conuiuium peractum.

Illud vero est omnino certum laico, seu sacerdoti more laicorum communicanti non debere reliquias concedi post ablationem, quia communione accepta finiuit conuiuium, neque ad illius ministerium pertinet reliquias absumere. Sic censent Ægid. Valq. Suar. Bonac. loc. alleg.

21. Quintus casus est, & receptus ab omnibus, cum ieiunium simul cum communione accepta violatur, vt contingit cum in feria 6. hebdomadae sanctæ sacramentum mixtum vino assumitur, item cum hostia hæret labro calicis, nec facile digiti dimoueri potest, & sumi, expedit vinum infundere, & simul cum illo absumere. Item cum palato hæret poteris semel & iterum ablationem sumere, quia in his casibus non censetur violatio ieiunij moraliter communionem præcessisse. Suar. Valq. Laym. Bonac. Ægid. loc. alleg.

22. Sextus est, si grauis nota sacerdoti imminet, ni celebret non ieiunus, vt si incepta missa recorderet ieiunum non esse, velique à celebratione desistere, populus tamen etiam causa manifestata non acquiescit, quinimo graue aliquod malum suscipitur, & scandalum sumit, poterit sacerdos missam profecti, & non ieiunus celebrare, quia præcepta Ecclesiæ eo rigore non obligant. Docent supradicti Doctores.

P V N C T V M XIV.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex diuino præcepto.

1. Plures censent nullam esse obligationem ex diuino præcepto sumendi Eucharistiam.
2. Verius est oppositum.
3. Satisfacit cuiusdam obiectioni.
4. In articulo mortis obligat hoc diuinum præceptum.
5. Non satisfacit communicans extra periculum.
6. Si proximus periculo communicasti satisfacit ex plurium sententia.
7. Verius est oppositum.
8. Fundamentum contrarium dissoluitur.
9. Interdum in vita communicare tenetur iuxta Ecclesiæ determinationem.
10. Infideles asfringi præcepto diuino communicandi aliqui firmanant.
11. Verius est oppositum.

1. Obligatio sumendi Eucharistiam nasci potest ex præcepto diuino, vel Ecclesiastico. Ex præcepto diuino nullam esse obligationem firmanant Bonauent. à num. 4. dist. 12. 2. p. distinct. art. 1. Aleos. in 4. quest. 11. membr. 2. art. 4. §. 1. Gabriel. in canon. missæ. lect. 87. lit. i. Syluest. verbo *Eucharistia*

Eucharistia 3. in princ. Ferrarief. 4. contra gentes c. 61. Faueat D. Thom. in 4. dist. 6. q. unica. art. 2. et dist. 12. q. 3. art. 2. q. 1. Mouentur, quia nullus est scripturæ locus, ex quo hæc obligatio colligi possit. Nam locus ille Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem D. Thom. q. 65. art. 4. ad 2. alique Patres explicant de spirituali manducatione. Alias sub vtraque specie esset obligatio à Christo imposta sumendi Eucharistiam. Ex institutione autem huius sacramenti hæc obligatio non colligitur. Nam esto ad nutriendum, & roborandum fideles aduersus Diaboli insidias institutum sit, aliud robur illud accipere fidelis potest, & in gratia accepta perseverare.

2. Nihilominus longè verior sententia est, quam tradit D. Thom. communiter receptus q. 80. art. 11. obligationem esse sumendi Eucharistiam ex Christi præcepto, primò illis verbis tradito: Nisi manducaueritis carnem, &c. quæ sine dubio intelliguntur de manducatione reali, & non de manducatione spirituali, vt colligitur ex contextu, aliàs audientes non forent scandalizati. Neque nouum aliquid Christus affirmaret, cum dixit Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo, si manducatio, & potus futura essent per fidem, & charitatem. Quia latius profertur Iansen. Maldonar. Tolet. in hunc locum. Valq. disp. 179. cap. 4. Quo supposito conclusionem proba. Si enim illa verba Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto obligationem baptismi non solum necessitate præcepti, sed mediè declarant, cur illa verba, nisi manducaueritis, obligationem saltem præcepti non declarabunt, cum eodem tenore vtraque verba prolata sint. Secundo illis verbis Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem. Nam vt concil. Trident. sess. 13. cap. 2. explicuit, sanctæ Eucharistiæ sumptione colere nos sui memoriam Christus præcepit. At nec præcipit, nec decebat præcipere, vt quoties manducaueritis eius carnem, & biberitis eius sanguinem speciali attentione coleremus eius memoriam, quia sæpè distracti manducamus, sæpè sensibus destituti, sæpè ignorantes ibi passionem, & mortem Christi annunciamus. Ergo solum præcepit, vt eius corpus, & sanguinem sumeremus, quia sumptione vtrpote quæ est passionis, & mortis Dominicæ annunciatio eius memoriam eorumus. Neque enim præcipere Christus poterat sumptione sui corporis mortem illius colere, quia simul præciperet sui corporis sumptionem.

3. Neque inde fit præcepisse omnibus fidelibus sumptionem sub vtraque specie. Nam verba illa, nisi manducaueritis intelligenda sunt, si nec manducaueritis, nec biberitis, &c. Sicut intelliguntur illa verba Petri Act. 3. Argentum & aurum non est mihi, id est neque argentum, neque aurum est mihi, ex qua explicatione solum inferitur vnius speciei sumptionem necessariam esse ad vitam. Imo esto daretur de sumptione vtriusque speciei ibi latum fuisse à Christo præceptum, non intelligendum est latum fuisse pro omnibus fidelibus, sed solum pro sacerdotibus celebrantibus, ij enim nisi manducauerint, & biberint vita carebunt, pro aliis vero, prout Ecclesia disposuerit. Verba autem illa Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem, quæque referuntur à Paulo 1. Corin. 11. similiter explicanda sunt. Esse inquam Ecclesie præceptum impositum Christi corpus, & sanguinem consecrandi mediis sacerdotibus ipsis, quia sacerdotibus præceptum sumendi datur, quia sumptione memoriam Dominicæ passionis, & mortis recolent, ceteris verò fidelibus non consecrantibus esse præceptum recolendi Dominicam passionem & mortem sumptione Christi corporis, vel sanguinis, prout Ecclesia disposuerit. Cum autem Ecclesia ob grauiam inconuenientia, quæ ex vtu calicis sequi poterant, illius vsum laicis interdixerit, consequenter illis interdixit vtu calicis Christi passionem recolere, sed solum vtu sumptione corporis.

4. Hoc præceptum diuinum de sumenda Eucharistia tum affirmatiuum sit, necessariò obligare debet aliquo tempore. Quod autem sit? Non conueniunt Doctores. Nam Caiet. in sum. verbo communio sacramentalis. Armilla eodem n. 4. Siluest. verbo Eucharistia 3. in princ. Ledesma 1. p. 4. q. 21. art. 11. dub. 2. negant obligare in articulo mortis, quia esto sancta Eucharistia viaticum sit pro itinere ex hac vita ad futuram, non tamen necessarium, sicuti est penitentia lapsis in peccatum, ea enim obtinetur gratia, quæ ius ad gloriam concedit. Non igitur Eucharistia necessaria est. Cæterum longè verius est præcepto diuino omnes fideles astringi ad communionem percipiendam in articulo mortis. Sic D. Thom. quest. 80. art. 11. quem ferè omnes expositores sequuntur, Valen. 1. 4. disput. 6. quest. 8. pun. 4. Suar. disp. 69. sect. 3. Valq. disp. 214. cap. 2. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. num. 2. Egid. quest. 80. art. 11. dub. 3. num. 94. Bonac. pluribus relatis disp. 4. quest. 6. pun. 1. num. 1. Ratio conclusionis sumitur ex concilio Niceno can. 13. relato cap. de his 26. quest. 6. et ex concil. Arelaten. 2. can. 12. Arausino 1. can. 3. Carthagin. 4. can. 77. et 78. Ancirano can. 22. præcipientibus, ne morituris viaticum (quod necessarium appellauit Nicenum concilium)

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars 1. v.

negaretur. At si necessarium non esset saltem ex præcepto, nec concilium necessarium diceret, nec eo rigore præcipere- tur sacerdotibus illius ministratio, nec à cura, & diligentia, qua monet Trident. sess. 13. cap. 6. cautum esset, vt in Ecclesiis pro infirmis asseruaretur. Adde nullo tempore fidelem magis indigere auxilio huius sacramenti, quam tempore mortis, vtrpote in quo diabolus sciens quia modicum tempus habet, grauiore insidias parat, & pro viribus deicere procurat: decebat ergo eo tempore præcipi huius antidoti sumptionem.

5. Hinc videtur euidenter inferri eorumsummentem extra periculum mortis non solum posse, sed teneri sacram Eucharistiam in periculo mortis constitutum suscipere. Quia communicatio facta ante periculum mortis non præcipitur, ergo ea satisfieri non potest communioni præceptæ. Impossibile enim est te præcepto satisfacere, nisi opus præceptum exequaris. Atque ita docet optimè Valq. disp. 214. cap. 2. à num. 13. Henriq. lib. 8. cap. 4. Suar. disput. 69. sect. 3. Zambran. de Eucharist. cap. 3. dub. 1. Tamesi Caiet. Armilla, Syluest. locis allegatis minus benè asserant communicantem in Paschate nec diuino nec Ecclesiastico præcepto obligatum esse in articulo mortis communicare. Quam sententiam probabilem reputat Eman. Saà verbo Eucharistia num. 1. Tolet. lib. 6. sum. cap. 18. in fine.

6. Sed quid si communicatio Paschalis, vel alia communicatio non longè ante periculum mortis, V. g. sex, vel octo diebus facta fuerit, eritne sufficiens, vt præcepto diuino in articulo mortis communicandi censeri satisfactæ? Affirmant Paludan. in 4. dist. 9. quest. 1. art. 2. n. 16. et 17. Sotus dist. 12. quest. 1. art. 11. Suar. disp. 69. sect. 3. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. q. 1. n. 4. Egid. de Coninch. q. 80. art. 11. dub. 3. n. 98. Bonac. disp. 4. quest. 7. pun. 1. num. 2. & alij. Mouentur, quia re ipsa opus præceptum executus es, siquidem proximè ante periculum mortis communicaueris, censeri enim in ipso periculi tempore communicare, quod enim parum distat, nihil distare videtur. Aliàs coactus esses bis eodem die communicare contra consuetudinem, & receptam consuetudinem. Nam ponamus te sanum manè communicasse, & vespere in periculum mortis manifestum incidisse, si præcepto diuino communicandi in articulo mortis satisfactum non est communione extra periculum facta, obligatus esses vespere communicare, atque adè bis eodem die. Neque Ecclesiastica lex eam communionem prohibere poterit.

7. Cæterum etsi prædicta sententia præcipue ob Doctorem autoritatem satis probabilis sit, probabiliorè existimo negantem ea communione proxima periculo mortis præcepto diuino communicandi in articulo mortis satisfactum esse. Sic docuit Valq. disp. 214. cap. 2. à n. 14. Ducor ea ratione, quia communicatio ante periculum mortis est communicatio voluntaria non obligatoria, sed communioni obligatoræ nequit fieri satis per communionem, quæ præcepta non fit. Ergo communioni debet in articulo mortis per communionem antecedentem tale periculum nequit satisfieri. Secundo si communioni debet in articulo mortis est satisfactum ea communione antecedente periculum, constitutus in articulo mortis periculo non poteris non ieiunare communicare in sententia illorum Doctorem, qui negant singulis diebus ægrotum periculosum communicare non ieiunum posse, quia ea communicatio necessaria non est, sicuti non est necessarium bis in eadem infirmitate communicare.

8. Ratio vero in contrarium non vrget. Nam esto illa communicatio extra periculum mortis facta, distet parum quoad physicam substantiam à communione, quæ fieret in periculo, quoad obligationem; tamen multum distat, cum ea sub obligatione non ceciderit, sicuti communicatio facta proximè ante pascha parum à tempore paschali distet, distat tamen multum à communione, quæ eo tempore præcipitur, siquidem priori communioni, vtrpote non præcepta non fit satis communioni paschali debet. Sequelam autem, quæ ex hac doctrina videtur inferri plures Doctores ex Salmanticensi, & Vallisoleana. Vniuersitate consulti non renuunt concedere. Neque enim reputant inconueniens ob hanc causam bis eodem die communicare, sicuti bis eodem die communicare quis potest, ne sacramento aliqua grauis irreuerentia fiat. Sed concedamus gratis incidenter eodè die, quo communicauit in periculo mortis non posse eo die communicare, vti docent exprelsè Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. n. 5. Egid. de Coninch. q. 80. art. 11. dub. 3. n. 100. non inde inferitur præcepto diuino communicandi in eo periculo non astringi, astringitur namque per se, tamesi per accidens ex præcepto Ecclesiæ excusetur. Sicuti si constituto in articulo mortis periculo graue crimè committeri in detestationem illius criminis leg. Ecclesiastica denegatur viaticum, excusatus ipse esset à præcepto diuino sumendi viaticum, tamesi per se eo præcepto teneretur. Sic constitutus in articulo mortis periculo teneretur per se communicare, quamuis eo die extra periculum communicauerit. Excusatur tamen ab hac obligatione ob prohibitionem Ecclesiæ quæ merito id prohibere potest ob reuerentiam tantò sacra-

G 2 mento

tramento debitam. Neque hæc prohibitio est abrogatio diuini præcepti, sed illius usus debita limitatio.

9. Rursus extra mortis articulum interdum in vita asserunt communiter Doctores præceptum diuinum communicandi obligare. Nam cum proprius effectus illius sit animam suscipientis nutrire, & roborare aduersus insidias diaboli, vt in accepta gratia perseueret immemor, & satis contemptor propriæ salutis esset, qui in suscipiendo hoc salutifero remedio negligens existeret. Ob hæc causam per tres vel quatuor annos communionem omittem præcepti diuini reum asserunt Suar. *disp. 69. sect. 3.* Bonac. *dispur. 4. q. 7. pun. 1. à num. 8.* etiam seclusa aliqua Ecclesiæ determinatione. Mihi tamen verius apparet quod tradidit Vasq. *dispur. 214. cap. 3. à num. 20.* cui ex parte concessit Egid. de Coninch. *q. 80. art. 11. dub. 3. in fine*, seclusa determinatione Ecclesiæ nullius peccati reum esse, qui toto vitæ tempore. ique ad mortis periculum omitteret communionem. Nam præcepta affirmatiua determinatum tempus, & cognitum habere debent, in quo executioni mandentur. At seclusa determinatione Ecclesiæ nemini constat, nec constare potest, quod tempus Christus huius præcepti executione signauerit præter mortis articulum. Ergo extra illud nemo præcepto diuino obligari potest. Et confirmo. Ponamus Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, præcepisseque in vita sumendum, quoties Ecclesiæ sua lege determinauerit. Sanè ex hac constitutione, & decreto, quod rationi maximè consentaneum est, inferret manifestè neminem obligatum esse ex diuino præcepto Eucharistiam sumere, antequam Ecclesiæ tempus sumptionis determinauerit, quia obligatio diuini præcepti ab ea determinatione pendet, & sub ea determinatione profertur.

10. Sed an hoc præceptum diuinum de sumenda Eucharistia tempore vitæ, & mortis obliget non solum fideles ratione vtentes, sed etiam infideles? variant Doctores. Affirmant, obligari Suar. *disp. 69. sect. 2. dub. 1. Vasq. disp. 214. c. 4. in princ.* Egid. de Coninch. *q. 80. art. 11. dub. 2. numer. 97.* Mouentur, quia Christus Dominus tam baptizatos, quam non baptizatos suo præcepto obligare potuit. Quod autem de facto obligauerit inde colligitur, quia verba illa *Ioan. 6.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, quibus hoc præceptum latum est, Capharnaitis sunt dicta, inter quos plurimi erant non baptizati. Neque huic obligationi obstat, quod infideles non possint hoc sacramentum recipere, nisi baptismum susceperint, quia potest obligatio suscipiendi Eucharistiam obligationem suscipiendi baptismum præsupponere, & vtraque infidelis afficere sicut obligatio penitentia, & Eucharistia existentes in peccato mortali afficit, tamen Eucharistia receptio receptionem penitentia præsupponat.

11. Cæterum verius cenfeo infideles Eucharistia præcepto non astringi, & ad eam omittentes in articulo mortis baptismum, & communionem solius omissionis baptismi reos esse. Sic docuit Sotus in *4. dist. 18. q. 1. art. 3. concl. 1.* Thom. Sanch. *lib. 3. in decal. cap. 12. num. 15.* Ratio est, quia Christus Dominus noluit infideles durante infidelitate capaces fieri Eucharistia. Non enim pro ipsis, sed pro fidelibus baptizatis hoc sacramentum sicut, & reliqua instituit. Ergo suo præcepto noluit eos obligare, vt ipse qui sunt incapaces Eucharistiam sacramentaliter suscipiendi: in quo est magnum discrimen à peccatoribus baptizatis. Hi enim capaces sunt Eucharistia suscipiendæ etiam non præmissa penitentia, ideoque astringi possunt præcepto illam sumendi, eique satisfacere possunt penitentia omissione. At non baptizati neque capaces sunt Eucharistia sacramentaliter suscipiendæ, neque illius susceptione quæ sacramentalis non est, præcepto Eucharistia sacramentaliter suscipiendæ satisfacere possunt. Hanc rationem confirmat optimè Sanch. exemplo illius, qui voto astringitur religionis assumendæ, qui est obligationem habeat assumendi religionis statum, & eo assumpto teneatur castitatem, paupertatem, & obedientiam seruare: at dum illius status assumptionem omittit, paupertatis, castitatis, & obedientia obligatione non tenetur, quia hæc obligationes supponunt statum assumptum. Sic est in præsentibus infidelis obligatus est baptismum suscipere, quo suscepto obligatur ad Eucharistia susceptionem. At ante baptismum susceptionem nullatenus ad suscipiendam Eucharistiam obligatur, quia hæc obligatio solum baptismi susceptionem spectat.

P V N C T U M XV.

De obligatione suscipiendi Eucharistiam ex præcepto Ecclesiastico.

1. Pro diuersitate temporum diuersimodè latum fuit præceptum de Eucharistia sumptione. Et quid in præsentibus

2. Quid nomine Paschatis intelligatur.
3. Non communicans tempore paschatis an postea communicare teneatur? Teneatur si oneratus ex consilio confessarij.
4. Si ex legitimo impedimento, affirmant aliqui.
5. Negant plures siue ex malitia, siue ex impedimento omit-tat.
6. Quis inferantur ex hac sententia.
7. Affirmandum est teneri communicare, siue ex malitia, siue ex impedimento omiserit.
8. An prauidentis te impediendum esse à communione tempore paschatis teneri prauentire? Sub distinctione respondetur.
9. Quis persona teneatur hoc præcepto.
10. Nulla alia communione fit iuris huic præcepto, nisi sit de manu proprij sacerdotis.
11. Communione peccaminosa plures negant te huic præcepto posse satisfacere.
12. Verius est oppositum.
13. Soluitur fundamentum contrariae sententia.
14. Quis poena afficiatur huius præcepti transgressores.
15. Iure communi nullus crebrius quam semel in anno obligatus est communicare.

1. P Ræcedenti puncto diximus obligationem in vita sumendi Eucharistiam ex diuino præcepto dispositioni Ecclesiæ relictam esse. Quia dispositione, seu determinatione facta non solum præcepto Ecclesiastico, sed diuino teneris Eucharistiam sumere. Variè Ecclesiæ in hac dispositione processit. Nam tempore nascentis Ecclesiæ, quia charitas, & deuotio fidelium feruentior erat, & grauior illorum necessitas ob tyrannorum persecutionem, & aliorum infidelium incurfus, singulis diebus dispositum erat hoc sacramentum suscipi. Constat ex Anacleto Papa, *epist. 1. cap. 2.* & refertur in *cap. episcopos de consecrat. dist. 1.* vbi singulis diebus non communicans priuandus venit Ecclesiæ ingressu, quia sic Apostoli stauerunt, & sancta Romana tenet Ecclesiæ, de qua consuetudine vide *Can. 10. Apostolorum.* Dionysium de Ecclesiast. Hierarch. *cap. 3.* Clement. Roman. *lib. 2. Apostolic. constitut. cap. 57. sub finem.* Postea vero frigescente charitate, & fidelium multitudine crescente Fabian. Papa re-latus in Gratiano in *cetiam non frequentius de consecrat. dist. 2.* & concil. Agathense relatum in *cap. saculares eadem dist. ter in anno decreuit esse suscipi debere Eucharistiam, nempe in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste. Tandem Innocent. III. in c. omnis vtriusque sexus de penitent. & remissionibus.* ob varias causas ibidem enumeratas decreuit semel anno, scilicet tempore Paschatis Eucharistiam sumendam esse, quod præceptum aliis abrogatis vsque ad hæc tempora vigeret. Pro illius igitur explicatione inquires quod tempus nomine paschatis intelligatur, quas personas afficiat hoc præceptum, qua communione illi possit fieri satis, quæ poena transgressori-bus sit imposta?

2. Nominè Paschatis non solum diem resurrectionis, sed octo antecedentes, & octo subsequentes nempe à dominica palmarum vsque ad dominicam in Albis inclusiue comprehendendi praxis, & communis vsus Ecclesiæ probat, ex declaratione Eugenij IV. teste Nauar. *cap. 21. numer. 45.* Ex consuetudine, vel ex privilegio hoc tempus extenditur aliquibus locis pro tota quadagesima, vt Conimbrix, & Mediolani testatur Egid. de Coninch. *q. 80. art. 11. dub. 4.* & Fagund. de tercio Ecclesiæ præcepto *lib. 1. cap. 5.* id ipsum de tota Lusitania affirmat. D. Hispan. refert Azor. *t. 1. lib. 7. cap. 41. quæst. 4. ex declaratione Clement. II. teste Laurentio Episcopo Prænestino, & Cardinali sanctorum IV. Coronator. in quolibet die quadagesima huic præcepto fieri posse satis. Cui sententia suscribit Fagundez dicto loco Eman. Saad. verbo Eucharistia num. 8.* Sed de consuetudine, & declaratione Clementis (vt dicit Suar. *disp. 70. sect. 2. concl. 2.* mihi non constat. Quinimo legi constitutionibus synodalibus plurium locorum fideles astringi intra illos quindecim dies paschatis communicare, extensione in aliquibus facta vsque ad dominicam 2. pastoris boni, vt in diocesi Compostellana, vbi transacta hac dominica fertur ipso iure excommunicatio aduersus omnes illos, qui in illis octo diebus sequentibus non communicauerint: à qua excommunicatione etiam denunciata poterunt parochi absoluerè vsque ad dominicam infra octauam Ascensionis imposita penitentia saluari. Ultra illud tempus est excommunicatio referuata. Sicut dicitur in *constitutionibus Compostellanis. §. 1. de la penitencia. n. 2. fol. 17.* Quapropter constitutiones cuiuscunque diocesis spectandæ sunt.

3. Sed difficultas est, an si supra dicto tempore paschatis vel ex malitia, vel ex aliquo impedimento non communicasti, tenearis communicare, cum primum possis? Et quidem si eo tempore communionem omististi ex consilio confessarij, non est dubium te obligatum esse eo tempore communicare, quod fuerit à confessario signatum. Quia in dicto c. omnis vtriusque sexus de penitent. & remissionibus conceditur,

conceditur, confessorio facultas temporis Paschalis prorogandi. Quare difficultas solum est, quando non ex consilio confessorij, sed ex tua malitia, vel impotentia communionem eo tempore omisit, vel omisit communionem intra tempus a confessorio designatum, an eo casu debeas, cum primum possis communicare, vel possis in sequens pascha communionem differre?

4. Triplex est sententia de hac re. Prima asserit omittentem eo tempore communionem ex impedimento legitimo, obligatum esse cessante impedimento communicare. Quia hic videtur ex tacito Ecclesie consensu communionem differre ad tempus sublato impedimento, ac proinde sicut qui differt communionem ex consilio confessorij obligatus est tempore a confessorio præcepto communicare, sic qui differt communionem ex impedimento legitimo, obligatus erit communicare cessante impedimento. Hanc sententiam à fortiori defendunt omnes illi qui dicunt omittentem ex malitia communionem tempore paschalis obligatum esse cum primum possit communicare.

5. Secunda sententia negat te hanc obligationem habere, siue ex legitimo impedimento, siue ex malitia communionem omiseris. Sic docent Siluest. verbo *Eucharistia* 3. questio. 15. conclus. 3. Tabiena verbo *communicare* numer. 10. Armilla verbo *communio* numer. 6. Medina. tract. de *penitent. quest. de confess. semel in anno. fol. 63. edit. Salmaticen.* Alter Medina *instructor. confessor. lib. 1. cap. 14. num. 42.* Sotus in 4. dist. 18. quest. 1. art. 4. Victor. in *sum. numer. 137. alias 148. Ledelm. in 4. p. 2. q. 2. art. 5. dub. 2. Valen. 1. 4. dist. 6. q. 8. pun. 4. Tolet. lib. 6. cap. 18. Eman. Saà verbo *Eucharistia* n. 7. Henriq. lib. 8. cap. 5. num. 1. & alij. Moneatur, quia reliqua præcepta affirmatiua, V. g. audiendi missam, ieiunandi, transacto tempore executioni designato non obligant, quia eorum obligatio tali temporis annexa est. Colligitur autem obligationem tali temporis annexam esse tum ex illius determinatione, tum præcipue quia illo tempore specialis honor Dei, & Sanctorum procuratur. At hæc rationes probant præceptum communicandi in paschate paschali temporis annexi debere. Tum quia tempus determinatur executioni præcepti, tum quia illo tempore specialiter intendit Ecclesia hac sacra communione recolere memoriam Dominicæ cæne, quam Christus cum discipulis habuit pridie quam pateretur, itemque memoriam suæ passionis & mortis, quæ eo tempore ab Ecclesia celebratur. Ergo transacto tempore paschali præceptum de communionem non obligat.*

6. Ex hac sententia, quæ certè est probabilis, inferitur primò etiam posita excommunicatione ipso facto transgressoris prædicti Ecclesiastici præcepti, vt ferè in omnibus decretibus est imposta, adhuc non teneri transgressores ad communicandum eo tempore transacto. Quia excommunicatio non extendit obligationem præcepti, sed præcepti transgressionis est pena. Sic Bonac. *disp. 4. q. 7. pun. 2. num. 13. vers. hoc idem contra Henricum. lib. 4. cap. 5.* Secundo inferitur sacerdotem habentem iurisdictionem ad absoluentem ab excommunicatione posse absoluerè excommunicatum, si veniam petat, & paratus sit præceptis Ecclesiasticis obedire, tamen ex aliqua rationabili causa nolit communicare vsque ad sequens pascha. Quia hæc solutio non potest ei impedimento esse, quominus absoluaatur, siquidem licita est. Sicuti si ob violationem ieiunij, vel præcepti audiendi Missam in excommunicationem incideres, ab ea absolui posses, quin ieiunare, vel audire missam velis illis diebus, quibus alias obligatus non es. Tertio inferitur posse hunc excommunicatum iam absolutum ab excommunicatione, communicare in qualibet parte, & à quolibet sacerdote habente iurisdictionem administrandi sacramentum Eucharistiæ. Quia non communicat ex obligatione illius lati e. *omnis viriusque sexus*, cum iam non obliget, sed ex voluntate, quia liberè vult communicare.

7. Hæc illationes videntur necessariò inferri ex dicta sententia. At quia nimiam licentiam præbent, & sententia in qua fundantur, non satis firma ratione fulcitur, ea de causa ceteris omnino dicendum, & in praxi semper consulendum omittentem communionem tempore paschalis ex legitimo impedimento, aut ex malitia teneri cum primum possit communicare. Neque enim hominibus sic in malum procliuibus permitendum est ab hoc sacramento omnium malorum antidoto separari, potius namque expedit ad illius frequentiam induci, vt eorum infirmitates ea salutari medicina curentur. Sic post alios antiquiores docent Nauarr. *cap. 21. n. 54. Azor. lib. 7. cap. 41. q. 5. Suar. disp. 70. sect. 2. Egid. de Coninch. quest. 80. art. 11. dub. 4.* æque hanc sententiam ac præcedentem probabilem reputat Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. num. 8. Bonac. disp. 4. de sacram. q. 7. p. 2. num. 13. vers. dixi. Joseph. Fagund. de tertio Ecclesia præcepto. lib. 1. cap. 6. num. 2.* Fundamentum est, quia in hoc præcepto communicandi, etiam affirmatiuum sit, duo continentur, vnum principale, & aliud accessorium. Communio est, quæ

Fern. de Castro. *Sum. Mor. Pars I V.*

principaliter præcipitur, fieri vero tempore Paschalis accessorie. Quod satis indicant ex verba, quibus hoc præceptum latum est. Inquit enim textus. Semel in anno confiteatur, suscipiatque reuerenter sacramentum Eucharistiæ. *ad minus* in pascha: illud enim aduerbiu *ad minus* satis denotat præcipuum finem Ecclesie esse communionem fieri. Quod vero tempore Paschali fiat, accessorie præcipi. At cum in vno præcepto duo continentur, vnum principale, aliud accessorium, principale non cessat accessorio neglecto, vt vt expressè probat textus in *cap. cum de dolo, & contumacia*, vbi designatus ad comparandum signato termino, si in isto non comparet, tenetur cum primum possit comparere. Et leg. *Celsus. §. sed ipse ff. de receptis arbitris*, obligatus certo die pecuniam soluere, si tunc omittit, obligatus manet, cum primum possit, quia terminus hic non ad finem obligationem, sed ne ultra differretur signatus est. Sic dicendum est in hoc præcepto communionis signatum quidem esse tempus Paschale, ne ultra illud communio differatur, non tamen vt in eo communionis obligatio finiatur, si suscepta communio non sit.

Ex hac doctrina fundamentum oppositæ sententiæ, & illius illationes vt minus veræ corrumpunt. Quocirca si omittenti communionem tempore Paschali excommunicatio imposta est; ipso facto nequit ab ea absolui quin proponat firmiter communionem suscipiturum, idque satis confirmat praxis, vsque communis.

8. Sed hinc oritur difficultas, an præuidens te impedientem esse à communionem tempore paschali teneris communionem præuenire? videris teneri, ne contingat ultra annum communionem differre. Econtrà est, quia per illam anticipatam communionem non videris satisfacere posse præcepto communicandi in paschate. Aliàs si impedimentum non eueniret, vt consideratum est, non esses obligatus tempore Paschali communicare, cum iam præcepto communicandi in paschate satisfeceris. In hac difficultate placeat mihi resolutio Pauli Layman. *lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. num. 9.* te obligatum non esse ante Paschale tempus communicare, nisi timeas communionem ultra annum ab vltima, communionem facta esse differendam. Priorem partem docuit etiam Suar. *disp. 70. sect. 2. dub. 3. Egid. de Coninch. q. 80. art. 11. dub. 4. numer. 108. Eman. Saà verbo *Eucharistia* circa finem. edit. Rom. & pluribus relatis Bonac. *disp. 4. quest. 7. pun. 2. num. 15.* Ratio huius partis est euidens, quia ceteris obligari poteris anticipare communionem, quatenus obligaris, ne ultra annum communionem differas. At esto omiseris eo tempore communionem, non differatur communio ultra annum (vt supponimus) Ergo non teneris communionem anticipare. Secundam conclusionis partem defendit Fagundez *de tertio Ecclesia præcepto lib. 1. cap. 6. numer. 3.* Quia in eo præcepto de communionem facienda duo (vt dictum est) virtute continentur. Primum, & præcipuum, vt singulis annis communio fiat. Secundum vt fiat saltem in Paschate. At præueniendo communionem adimplet illud præcipuum præceptum singulis annis communicandi. Teneris ergo præuenire. Neque inde fit te non esse obligatum tempore Paschali communicare, si forte impedimentum quod timebas non euenit. Obligaris namque non ex vi præcepti singulis annis communicandi, sed ex vi præcepti communicandi saltem Paschali tempore. Illud verò est omnino certum, si post Dominicam resurrectionis credis te impedientem esse à communionem, obligari hebdomada sancta communicare, quia eo tempore opus præceptum plene exqueris, sicuti si hora decima cognoscis impedientem esse ab auditione missæ, teneris ante eam horam missam audire, quia præcepto audiendi missam eo tempore teneris. Sic Saà verbo *Eucharistia ad finem.* Bonac. *disp. 4. q. 7. pun. 2. n. 15. Suar. disp. 70. sect. 2. in fine.**

9. Persona quæ hoc Ecclesiastico præcepto communicandi in paschate, & in articulo mortis tenentur, sunt omnes fideles, cum ad annos discretionis peruenerint, vt expressè dicitur in *dicto e. omnis viriusque sexus*. Quando autem censearis sufficienter discretionem habere vt hoc præcepto teneris, diximus supra *pun. 9. circa finem.*

10. Sed qua communionem satisfacere possis huic præcepto? Breuiter respondeo nulla alia communionem nisi accepta de manu proprii sacerdotis, quia sic canetur in *dicto cap. omnis*. Nomine proprii sacerdotis venit intelligendus non solum pater, sed qui illius vices gerit, & ex eius licentia tibi communionem ministrat, quia quoad illum actum proprius sacerdos est. Vnde si à religioso potestatem à Pontifice habente Eucharistiam etiam in Paschate ministrandi communionem susciperes, non est dubium te satisfacturum præcepto Paschalis communionis. An autem omnibus religiosis hæc facultas concessa sit, inferius examinabimus, cum de ministro huius sacramenti institueret sermo.

Aduerte primò religiosorum familiares, si extra domum Religiosorum domicilium habeant, non posse à Religiosis, qui potestate carent communionem Paschalem ministrandi,

G 3 suscipere

suscipere eam communionem, quia non subduntur Praelato Religionis ut proprio parochio. Secus si intra domum Religionis habitarent. Eman. Saâ, verbo Eucharistia n. 9. ex congregat. concilij. Bonac. disp. 4. quæst. 7. pun. 2. numero 11.

Secundo adverte peregrinos forenses, & quoslibet alios à domicilio proprio abentes ita ut commodè ad proprios parochos accedere non possint, ex tacita eorum licentia iuxta declarationem Eugenij IV. posse à religiosis, alijsve sacerdotibus facultatem administrandi Eucharistiam habentibus, communionem paschalem suscipere, & præcepto satisfacere, ut docuit Caietan. verbo absolutio. Nauarr. cap. placuit de poenitent. & remissionib. disp. 6. num. 27. Sotus in 4. disp. 18. q. 4. art. 2. Azor. t. 1. lib. 7. cap. 41. q. 8. & 9. & præ omnibus Sanch. lib. 3. de matr. disp. 25. à num. 17. ubi optimè probat non esse obligatos ad Ecclesiam matricem illius oppidi accedere, vel ad eam parochiam, in qua transeunt commorantur, quia non sunt propriae parochiae ex obligatione, esto possent esse ex voluntate. Tertio adverte sacerdotem ubique celebrantem communioni paschali satisfacere, quia solus laicali more communicans obligatur de manu proprii sacerdotibus Eucharistiam recipere, sicuti notavit Henricq. lib. 8. de Euchar. c. 55. Eman. Saâ, verbo Eucharistia n. 11.

11. Superest questio, an communione peccaminosa & sacrilega præcepto communicandi satisfacias? Videris satisfacere non posse, quia tibi non præcipitur communio, qua à Christo se separes, & condemnationem incurras, sed qua in Christo manens, etique vniaris, & virtutem accipias ad tentationes inimicorum superandas. Ergo communione sacrilega satisfacere præcepto non potes, quia non exequeris communionem præceptam. Et confirmo. Ecclesia tibi præcepit reuerenter suscipere Eucharistiam, ut constat ex illis verbis textus in dicto cap. omnes virisque sexus: Suscipiens reuerenter ad minus in pascha Eucharistiae sacramentum. At si indignè communices non reuerenter, sed irreuerenter Eucharistiam accipis. Ergo præcepto non satisfacis. Deinde præcepto recitandi horas canonicas non satisfacis, si absque vlla attentione recites, quia non recitas deuotè, & attentè, sicuti cauetur in cap. adentes. De celebrat. missarum. At in dicto cap. omnis cauetur communionem reuerenter fieri debere. Ergo leuiter reuerentia satisfacere præcepto non potes. Et ira sustinet Durand. Capreolus, Adrian. & alij quos refert, & sequitur Didac. Nuñez. q. 80. art. 11. difficult. 3. dub. 4. Bartholom. de Angelo. dial. 46. §. 176.

12. Nihilominus longè verior est opposita sententia, affirmans sic indignè commemorantem satisfacere præcepto paschalis communionis. Sic docuerunt Azor. t. 1. lib. 7. cap. 41. q. 12. Sotus lib. 2. de iust. q. 3. art. 10. Suar. disp. 70. sect. 3. Agid. de Coninch. q. 80. art. 11. dub. 4. num. 107. Eman. Saâ, verbo Eucharistia. num. 25. Bonac. disp. 4. q. 7. pun. 2. num. 12. Fagundes de tertio Ecclesia præcepto lib. 1. cap. 7. num. 4. & alij apud ipsos. Ratio est, quia Ecclesia eam communionem præcipit, qua in se spectata te Christo vnire possis, & ab eo robur ad tentationes superandas accipere, non vero qua de facto hos effectus obtineas, alius in peccato mortali existens, illiusque immemor recipiens Eucharistiam absque vilo dolore obligatus elies iterum communicare, si indignitatem cognosceres. Confirmantque potest ex præcepto audiendi Missam, cui satisfacis tamen ex sine prauo, & mortaliter peccaminoso audias, quia non præcipitur auditio, quae de facto, & secundum omnes circumstantias gratia fit Deo, & in illius cultum cedat, sed quae ex se Deo placeat, illumque colat, & veneretur.

13. Hinc solum est fundamentum oppositæ sententiæ. Ea communio præcipitur, quæ ex se potest te Christo vnire, tamen de facto ob tuam indispositionem non vniat. Et licet Christus, & Ecclesia huius sacramenti susceptione hanc vnionem de facto intenderint, id præceptum non est, sed est finis ipsius præcepti. Ad confirmationem primam respondeo particulam illam reuerenter, si sub præceptum cadit de reuerentia exteriori, & interiori, qua hoc diuinum sacramentum recognoscitur, esse intelligendum, non de reuerentia proveniente à gratia sanctificante. Secundo respondeo negando illam particulam reuerenter sub præceptum Ecclesiasticum cadere, sed exprimeret modum, quo ex præcepto diuino hoc Ecclesiasticum præceptum seruandum est. Etenim præcepto diuino astringimur non solum ad communicandum, sed ad dignè, & sanctè communicandum. Ad confirmationem secundam respondeo esse longè diuersam rationem de oratione, & communione. Oratio namque esse non potest absque attentione, quare præcipiendo orationem præcipitur attentio, tamen non exprimitur. At communio esse potest absque reuerentia à gratia proveniente.

14. Transgressores huius præcepti ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & Ecclesiastica sepultura priuari, quia sic cauetur in dicto cap. omnis virisque sexus. Necessaria tamen est sententia iudicis, ut hanc poenam incurant. Quapropter ferè in omnibus diocesibus excommunicatio ipso facto lata est.

15. Ad extremum inquires, an sint aliqui fideles crebrius quam semel in anno obligati ad communicandum? Respondeo iure communi nullum esse obligatum sub graui culpa. Nam esto in Clement. ne in agro. §. sanè de statu monachor. statutum sit monachos singulis mensibus confiteri debere, & in prima dominica mensis Eucharistiam recipere, & in Trident. sess. 25. cap. 10. de Regularib. monialibus confessio, & communio mensura præscribitur, nullum est verbum, ex quo obligatio grauis inducatur, sicuti docent Valer. Reginald. praxi fori. poenitent. lib. 9. num. 73. in fine. Man. Rodrig. t. 1. egular. quæst. 62. art. 1. Fagundes de tertio Ecclesia præcepto. lib. 1. cap. 6. numer. 8. aduersus Nauarr. sum. cap. 21. num. vlt. Tabienam, verbo communio num. 14. & Armillam, num. 16. Dixi iure Communi. Nam constitutiones speciales cuiuscunque religionis spectandæ sunt, an ex illis obligatio communicandi oriatur.

P V N C T V M. X V I.

De vsu, & frequentia qua sacra Eucharistia suscipienda est.

1. Semel tantum in die communicandum est.
2. Singulis diebus potest accipi communio, sed non omnibus exceptis spectata eorum conditione.
3. Quilibet hora diei recipi Eucharistia potest.

1. P RÆCEPTUM Ecclesiasticum esse, ne plusquam semel eodem die Eucharistia recipiatur constat ex cap. consuluisti. de celebrat. missar. & cap. suscipi. de consecrat. disp. 1. qui textus esto de solo sacerdote celebrante loquantur, omnes Doctores extendunt ad laicalem communionem, & merito quia in celebrante ob vtilitatem totius Ecclesiæ permitti poterat bis, & ter eodem die celebrare, sicuti permittitur in die Natalis Domini, quod tamen laicè communicanti non expediebat. Finis huius prohibitionis præcipuus fuit reuerentia tanto sacramento debita. Deinde ut aptius passio, & mors Domini representarentur. Cum enim Christus Dominus semel tantum passus, & mortuus sit, congruit, ut dixit Alexand. in dicto cap. sufficit, ut semel tantum in die in hoc sacramento, quo eius passio, & mors recolitur, susciperetur. Ab hac regula ut dixi excipiendus est casus, quo sacramentum recipi indigeret ob aliquam irreuerentiam ei imminentem vitandam. Valq. disp. 214. cap. 3. in fine.

2. Singulis autem diebus illam feria 6. parasceues recipi Eucharistia potest, quia neque in die sacra Eucharistia suscipi prohibetur diuino, vel Ecclesiastico præcepto, sed potius permittitur, ut colligitur Ordine Romano, in officio Parasceue. Ex sermone B. Dorothei de mendacio. post princ. Ex Amalario. lib. 1. de Ecclesiasticis offic. cap. 12. & 15. & tradit Valq. disp. 232. cap. 2. num. 21. Quinimo plures Ecclesiæ Patres non incitant, & persuadent, ut quotidie sacram accipiamus Eucharistiam, præcipue Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. Cyprian. serm. 6. de orat. domin. Hieronym. epist. 28. ad Lucinium August. epist. 122. ad Probum. Chrylost. Theophil. & alij plures quos refert Alphons. Salmerton. t. 5. tract. 50. & præcipue 9. tract. 41. in Ioann. Ad idemque sunt plures textus ex iure canonico, præcipue cap. quotidie de consecrat. dist. 1. & cap. si quotiescumque cap. si non sunt tanta peccata de consecrat. dist. 2. & specialiter Trident. sess. 22. cap. 6. & catechismus Pij V. 2. p. de Eucharist. num. 46. Verum hoc intelligendum est, si magno deuotionis, & Charitatis seruore ad tantum suscipiendum sacramentum disponamur. Neque enim expedit reuerentia tanto sacramento debita, ut quotidie communicetur tepido, & remisso in Charitate, curisque secularibus implicato. Quapropter spectata hominum conditione paucissimi sunt, quibus expediat singulis diebus communicare, rari & pauci quibus plusquam octauo quoque die. Qui autem hi sint non cuiusque arbitrio, sed prudentis confessorij iudicio relinquendum est: ut ex D. Thom. q. 80. art. 10. & in 4. dist. 12. q. 13. art. 1. qq. 2. Bonavent. eadem d. p. 2. q. 2. Alexand. Alet. 4. part. 4. §. 1. q. 2. Richard. in 4. dist. 12. art. 6. q. 1. Albert. lib. de Missa in fine. S. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 12. §. 5. colligunt Siluelt. verbo Eucharistia. 3. q. 15. Suar. disp. 69. sect. 4. Valq. disp. 214. cap. 3. circa finem. Agid. de Coninch. q. 80. art. 10. à num. 79. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. n. 7. Bonac. disp. 4. q. 7. p. 2. n. 16. Fagundes. de tertio Ecclesia præcepto, lib. 3. cap. 7. & alij Neotheologi.

3. Item recipere potes Eucharistiam qualibet hora diei modo ieiunus sis, quia nulla est à iure pro susceptione Eucharistiae hora determinata. Siluelt. verbo Eucharistia 3. §. 16. num. 5. Angel. eodem §. 16. Henricq. lib. 8. cap. 35. n. 5. Fagundes lib. 3. cap. 7. in fine. Verum esto ita sit, seculis tamen aliqua specialis causa non debet permitti sub vesperam aut intermesa nocte Eucharistiam recipi, quia id nec sacramenti reuerentiam decet, nec occasionem scandali fugit. Agid. de Coninch. q. 80. art. 10. in fine.

EVNCTVM XVII.

De ministro Eucharistiæ quoad illius consecrationem, & dispensationem.

1. Quoad illius consecrationem soli sacerdotes sunt ministri.
2. Qualiter plures sacerdotum consecrationis unus hostiæ esse possint ministri.
3. Sacerdos depositus degradatus potestatem retinet validdè consecrandi.
4. Quoad dispensationem Eucharistiæ ex officio solus est sacerdos.
5. Ex delegatione non solum diaconis, sed laicis committi potest dispensatio Eucharistiæ.
6. Diacono urgente necessitate & Episcopus, & sacerdos hanc potestatem committere poterunt.
7. Aliis à diacono extra necessitatem extremam non est à iure concessa facultas ministrandi Eucharistiæ.
8. In extrema necessitate satis est probabile posse laicum secluso scandalo ministrare Eucharistiæ.
9. Poterit non solum aliis, sed sibi.
10. An sacerdos extra sacrificium ministrare sibi Eucharistiæ possit.
11. Sacerdos celebrans reservare potest particulam hostiæ ad communicandum infirmo, vel sano.

1. **F**ide certum est solos sacerdotes ministros Eucharistiæ esse quoad illius consecrationem, quia nullus alius à sacerdotibus hanc accepit à Christo potestatem. Et cum illis tantum eam facultatem concessit, quibus præcepit corpus suum, & sanguinem consecrare illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* At nemini alteri à sacerdotibus hoc præceptum imposuit. Ergo nullus alius potestatem habet corpus, & sanguinem Christi consecrandi. Sic expressit Trident. sess. 22. c. 4. & traditum erat in concilio Niceno 1. c. 14. & in Lateranen. sub Innocentio 111. cap. 1. relato in c. firmiter de summa Trinitate. & fide Ca. 101. & in Florent. decreto de Armenis post ult. sess. 8. tertium est.

2. Solum est difficultas, an plures esse possint ministri consecrationis unus tantum hostiæ? Et quidem si simul proferunt, & finiunt consecrationis formam cum debita intentione consecrandi, dubium esse non potest omnes eandem hostiam consecrare, quia nulla est ratio, ob quam uni potius, quam alteri consecratio tribuatur, & singuli formam legitimam cum debita intentione pronuntiant. Consecrant ergo omnes. Sed quia vix est moraliter possibile plures concurrentes ad unus hostiæ consecrationem simul verba finire, eade causa dubitatum est qualiter hoc licitum esse possit, siquidem plures ex illius periculo morali exponuntur profertendi formam super materiam iam ab alio consecratam, & consequenter indebitam. Econtra autem damnum non potest vñs à Romana Ecclesia approbatus concurrenti plures ad consecrationem unus hostiæ, sicuti contingit cum Episcopo consecratur, qui simul cum consecrate verba consecrationis proferat. Item cum Episcopus ordinat sacerdotes. Nam sacerdotes noviter ordinati esto plures sint, cum ipso Episcopo ordinante proferunt consecrationis verba.

Huius difficultati varias solutiones Doctores adhibent. Ea tamen mihi verior videtur, quæ affirmat omnes sic ad consecrationem unus hostiæ concurrentes, intentionem habere consecrandi si simul cum Episcopo finiunt verba. Secus si ante, vel post. Colligitur hanc intentionem ex eo quod omnes admoventur simul cum Episcopo verba proferte, quæ si ea intentione vel effectu habent eo tempore non dicerentur, vel dicerentur ea intentione, ut effectum haberent antequam Episcopus verba finiret, opus non esset eos sic diligenter præmonere, ne Episcopum in prolatione præcederent, neque subsequerentur. Sic Suar. disp. 61. sect. 4. Aegid. de Coninch. qu. 82. art. 2. num. 13. Neque obstat periculum morale adesse plures irritè formam consecrationis profertendi, quia hoc periculum honestatur ex eo quod aliquando convenit exactius representare institutionem huius sacramenti, & passionis Christi memoriam. Quæ sine dubio exactius representantur, cùm plures sacerdotes simul cum Episcopo non solum Eucharistiæ sumunt, sed etiam consecrant. Nam esto Apostoli simul cum Christo non consecraerint, id factum est ne presumerentur Apostoli simul cum Christo auctores sacramenti fuisse præterquam quod nondum erant sacerdotes constituti, qui se essent, forte simul cum Christo consecraerent.

3. Quod vero sacerdotes excommunicati sint, depositi, aut degradati, non obinde potestatem amittunt validdè consecrandi corpus, & sanguinem Christi, quia eorum potestas, quæ in charactere fundatur indelebilis est, sicuti tradit D. Thom. ab omnibus receptus, q. 82. art. 5. 7. & 8.

4. Quoad ministrum dispensationis, Catholica veritas est neminem alium à sacerdote ministrum Eucharistiæ esse ex

officio. Sic sumitur ex Trident. sess. 13. cap. 8. & cap. peruenit. de consecrat. dist. 2. & D. Tho. q. 82. art. 1. Siluest. Euchar. 3. q. 4. Henric. lib. 8. cap. 54. Aegid. de Coninch. qu. 82. art. 3. Suar. disp. 72. sect. 1. Valqu. 219. cap. 1. Quia nemini alteri à sacerdotibus dictum est à Christo Domino; Hoc facite in meam commemorationem, hoc est consecrata sumite, aliisque distribuite. Neque alius à sacerdote propriè Christum representat, & mediator hominum est constitutus, ut munera populi Patri æterno offerat, & oblata populo concedat, ob quam causam dixit Paul. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

5. Ex delegatione autem optimè potest non solum diaconus, sed etiam laicus hoc sacramentum ministrare. Quia iure diuino concessio huius facultatis non intercedit. Quinimo Trident. sess. 13. cap. 1. expressè declaravit in dispensatione sacramentorum Ecclesie facultatem relictam esse salua eorum substantia mutandi & alterandi pro varietate temporum, & fidelium utilitate, quod sibi visum fuerit expedire. At ministratio Eucharistiæ non ad substantiam sacramenti, sed ad illius dispensationem pertinet, poterit ergo ab Ecclesia aliis à sacerdotibus committi. Deinde nulla apparet ratio, ob quam committi non possit laicis hæc dispensatio, siquidem urgente necessitate sacramentum tangere possunt iuxta antiquam Ecclesie consuetudinem, qua solebant laici Eucharistiæ in domum deferre, manibus tangere & ore accipere propter tyrannorum persecutionem, teste Iustino Martyre in 2. apolog. pro Christianis. ad Antonin. Pium, non longe à sine, imo si Eucharistiæ in terram esse, protecta possit, & deberet laicus eleuare. Itemque sumere, si periculum esset vltioris irreuerentiæ, quia quod pro reuerentia sacramenti institutum est, non debet in illius irreuerentiam cedere. Et ita sustinent Suar. disp. 72. sect. 2. Valqu. disput. 219. cap. 1. num. 18. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. c. 7. num. 2. Aegid. de Coninch. quest. 82. art. 3. num. 19.

6. Hanc delegationem diacono non solum Pontifex, sed Episcopus, & presbyter urgente tamen necessitate communicare poterit, ut manifestè colligitur ex Clement. Romano, lib. 8. constitut. Apostolic. c. 28. alias 34. Niceno concil. 1. can. 18. sed præcipuè ex Carthagin. IV. can. 39. ibi: Diaconus presente presbytero Eucharistiæ corporis Christi populo si necessitas cogat, iussus erogat. Neque ad hanc commissionem videtur expostulanda extrema necessitas, sed grauis, quæ certitur, cum nullus adest sacerdos, qui commodè ministrare Eucharistiæ possit. Non enim textus supradicti necessitatis extremæ meminerunt, & antiqua consuetudine absque hac necessitate extrema dispensatio Eucharistiæ diaconis concedebatur; sic aliis relatis Suar. disp. 72. sect. 2. concl. 3. Henric. lib. 8. cap. 54. n. 2. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 7. num. 2. His tamen temporibus, ubi copia sacerdotum creuit, rardè occurrere potest necessitas extra mortis periculum committendi hanc facultatem, præcipuè cum iam cessauerit consuetudo communicandi sub vtraque specie, ob quam facilius diaconis dispensatio calicis concedebatur, teste D. Thom. q. 82. art. 3. ad 1. vt pote qui non immediatè sanguinem attingebant, sed media fistula argentea communicantibus propinabant.

7. Laicis vero, & clericis diacono inferioribus extra mortis periculum, & necessitatem sacramenti extremam nulla est facultas concessa ministrandi Eucharistiæ, nec concedi potest ab vilo prelato præter Pontificem. Est communis sententia, & colligitur tum ex cap. peruenit de consecrat. dist. 2. dicente horrendum, ac detestabile esse, quod sacerdotes absque necessitate scilicet extrema pro laicum, ac feminam sacram Eucharistiæ agris mitterent. Tum ex concil. Carthagin. IV. can. 38. concedente hanc facultatem diacono tantum urgente necessitate. Tum ex praxi Ecclesie, quæ nunquam aliis, quam diaconis hanc facultatem commisit. Neque obstat antiqua consuetudo, qua laici accipiebant hostiam consecratam, quam sumendam propriis manibus domum deferbant. Cuius consuetudinis meminisse. Basilii apud Anastasium Nicen. in questionibus super scripturam. Sozomen. lib. 8. histor. Ecclesiast. cap. 3. Nicephor. lib. 13. cap. 7. Quia illa acceptio non tam erat sacramenti ministratio, quam sacramenti ministrati applicatio, & receptio, sicuti cum sancti Apostoli calicem consecratum, & à Christo consecratum inter se diuiserint.

8. In necessitate extrema, quæ adest, cum infirmus in proximo est periculo moriendi, neque est sacerdos, neque diaconus, qui possit, vel velit Eucharistiæ ministrare, credo satis probabile esse, laicum ministrare Eucharistiæ posse secluso scandalo. Sic docent Valent. 1. 4. disp. 6. quest. 10. pun. 1. ad finem. Suar. disput. 72. sect. 3. ad finem. Coninch. quest. 82. art. 3. n. 23. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 7. ad finem. Filliucius, tract. 4. cap. 9. quest. 5. num. 258. & 285. Reginald. praxi. lib. 29. num. 93. aduersus Henric. lib. 8. cap. 54. Possuinum de communionem exp. 8. num. 24. Valq. disp. 219. cap. 1. Bonac. disp. 4. q. 5. punct. 1. num. 6. Eman. Saà, verbo Eucharistiæ, num. 4. & 32. & alios apud ipsos. Moueor, quia nec iure diuino laicis interdicta est Eucharistiæ ministratio, nec iure Ecclesiastico in ne-

rate extrema. Nam textus in *cap. peruenit* loquitur extraculum necessitatis, expressè enim dicit horrendum, & detestabile facinus esse absque ulla necessitate per laicos, vel feminas deferri agris Eucharistiam. Ergo stante necessitate maximè extra nullum erit facinus. Quod non leuiter confirmat Euseb. *lib. 6. historiar. cap. 36.* afferens olim viros sanctos misisse viaticum per laicos necessitate urgente. Neque obstat solis diaconis inueniri concessum urgente necessitate. Nam inde non inferitur, laicis denegatum esse, sed solum inferitur non esse illis expressè concessum, benè tamen potest esse concessum virtute, & interpretatiuè spectata Ecclesiae pietate. Neque item obstat quod praesenti tempore non videamus vquam à laicis Eucharistiam ministrari: id enim provenire potest ex eo quod casus necessitatis non occurrerit, vel non occurrerit publicè, sed occultè, & ministratio Eucharistiae occulta fuerit.

9. Adde in praedicto casu non solum alteri, sed tibi metipsum ministrare Eucharistiam posse. Nam licet consuetudine Ecclesiae statum sit, teste Trident. *sess. 13. cap. 8.* ut laici à sacerdotibus communionem accipiant, itaque ne extra Missae sacrificium aliquis sibi metipsum ministrare, lex haec cessare praesumitur in casu extremae necessitatis, ne tanto bono, & fortè sibi necessario moriturus priuetur. In cuius testimonium adduci solet factum illud Mariae Reginae Scotiae, quae proxima martyrio sacram Eucharistiam, quam apud se retinebat sumpsit. Quod si dicas id fecisse vel bona fide: vel ex dispensatione speciali Pontificis: vnde constat sic à Pontifice specialiter dispensatum? Congruentiùs responderes id factum esse, ne Eucharistia in manus haereticorum conculcanda deueniret. Sic docuerunt Caietan. *in c. 26. Math. Suar. disp. 72. sect. 3.* Layman. *sum. tract. 4. cap. 7. n. 7. concl. 4.* aduersus Agid. *q. 82. art. 3. num. 27.* Valq. *disp. 219. cap. 1. in fine.* Fagund. *lib. 3. cap. 3. n. 8.*

10. Dixi legem esse consuetudine introductam, ne quis extra Missae sacrificium sibi Eucharistiam ministrare? At haec lex non est eo rigore recepta, quin urgente aliqua rationabili causa, tamen non extrema omitti possit. Quocirca sacerdos infirmus, qui celebrare comodè non potest, poterit cessante scandalo è sacratio hostiam consecratam sumere, cum non adit alius qui ministrare, quia non in alienam personam, sed in propriam, iurisdictionem à Christo datam administrandi Eucharistiam exercet. Neque in hoc sacramento opus est ministrum à suscipiente distingui, vt patet in die Parasceue, in quo sacerdos seipsum communicat, tamen non consecrat. Caietan. *in sum. verbo communicatio.* Suar. *disp. 72. sect. 3.* Agid. de Coninch. *quest. 82. art. 3. n. 25.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 4. c. 7. circa finem. concl. 4.* Bonac. *disp. 4. de sacrament. quest. 5. pun. 1. num. 11.* Eman. Saà. *verbo Eucharistia num. 34. edit. Romana,* & alij plures affirmant ex sola deuotione hoc fieri posse, Quinimo Addit Durand. *in 4. d. 13. quest. 4. n. 7.* quem sequitur Laymann. *lib. 5. sum. tract. 4. c. 7. concl. 4.* Suar. *disp. 72. sect. 3.* Eman. Saà. *verbo Eucharistia n. 35. in Romana edit.* Si sacerdos aegrotet, & per diaconum deferatur Eucharistia, posse, & debere sacerdotem propriis manibus sibi ministrare, quia diaconus non est minister huius sacramenti, nisi in defectum sacerdotis, qui nec velit, nec possit ministrare, tamen contrarium sentiat Valq. *disp. 219. cap. 1. in fine.* Fagund. *de tertio Ecclesiae praeccepto lib. 3. c. 3. n. 7. in fine.* affirmantes in casu necessitatis diaconum esse ministrum à iure destinatum, cum non adest sacerdos, qui alteri à se Eucharistiam ministrare.

11. Ad extremum aduerte sacerdotem celebrantem ex hostia, quam pro sacrificio consecrauit, posse particulam reseruare ad communicandum infirmo, vel sano, quia neque id perfectionem sacrificij dimittit, nec iure aliquo prohibetur inueniri, quinimo factum Christi instituentis hoc sacramentum exactius representat, vt pote qui ex eodem pane, & calice consecrato, & sumpsit, & discipulis distribuit. Sic Henric. *lib. 8. cap. 46. n. 2. in com.* Eman. Saà. *verbo Eucharistia n. 15.* Bonac. *disp. 4. q. 5. p. 1. n. 14.* Posseuin. *de communione sanorum. cap. 8. num. 13.* & alij aduersus Graffis *lib. 2. cap. 37. num. 29.* Zambran. *de Eucharist. cap. 3. dub. 6. num. 7.* solum concedentes in casu necessitatis extremae, ne infirmus sine viatico moriatur.

P V N C T Y M XVIII.

De iurisdictione, aliisque conditionibus requisitis pro sacrae Eucharistiae ministratioe.

1. Debet minister ab omni peccato & censura esse immunis.
2. Debet habere iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Habere delegatam omnes sacerdotes probat Marzilla.
3. Reuocatur communis sententia.
4. Facultas pro huius sacramenti ministratioe sufficit praesumpta.
5. Nulla poena ipso iure afficitur sacerdos, qui absque ulla facultate Eucharistiam ministrat, nisi religiosus sit. Hic autem excommunicatur.

6. Approbatio Ordinarij pro huius sacramenti ministratioe non requiritur.

1. Non est dubium ministrum Eucharistiae ab omni censura, & peccato liberum esse debere, vt diximus, & probauimus *tract. 18. de sacram. in gen. pun.*
2. Deinde iurisdictionem habere debet in personam, cui sacramentum administrat, neque enim decebat alienas oues contra voluntatem proprii pastoris pacere, vt bene ex concilio Carthaginen. *1. c. 7.* Mileuit. *can. 18.* Tertullian. *de corona militis. cap. 3. n. 33. & 35.* probant Suar. *disp. 72. sect. 2.* Henric. *lib. 8. cap. 55.* Valq. *disp. 219. cap. 2.* ceterique communiter. Haec tamen iurisdictione ordinaria esse potest, vel delegata. Ordinariam appello, quae officio prouenit, delegatam, quae à iurisdictione ordinaria promanet. Hanc autem delegatam iurisdictionem omnes sacerdotes habere triplici communione excepta communione Paschali, communionem per viaticum, & communionem ex formulis praesecratis, & in sacratio repositis ausus fuit affirmare Fr. Petr. de Marzilla *ex familia Benedictina in quodam memor. ad Archiepisc. Compostell. pro frequentia Euchar. Idemque tradidit Ludou. Beia resp. casuum conscient. p. 4. casu 14.* & videtur consentire Barbo. *in remission. Trident. sess. 22. cap. 6.* Mouentur, quia Trident. optat, vt in singulis Missis fideles adstantes communicent. At non possunt communicare, quin sacerdotes sacrum facientes Eucharistiam illis ministrent. Optat ergo id sacerdotibus hanc fieri administrationem. Ergo sacerdotes celebrantes ex voluntate concilij Eucharistiam ministrant, atque adeo ex iurisdictione ab Ecclesia accepta. Item Ecclesia in hymno huius sacramenti testatur institutum esse, vt sacerdotes sumant, & dent ceteris. Ergo quilibet sacerdos sumens & aliis donare poterit.
3. Ceterum praedicta ratio non urget, vt contra communem sententiam procedamus; siquidem ex ea manifestè inferitur triplicem illam communionem excipiendam non esse. Nam Concilium, Hymnusque Ecclesiae non distinguit, an communicatio fieri debeat ex praesecratis, an ex iis quae in illo sacrificio consecrantur. Aperite autem sacrarum ad rationabilem causam non videtur peccati mortalis damnandum, si ex alia parte sacramenti administratio licet. Adde si ex eo quod sacerdotes instituti sunt, vt sumant, & dent ceteris, inferre Marzilla posse extra viaticum quibuslibet Eucharistiam concedere, quare non poterit infirmis, quibus hoc sacramentum magis est necessarium? Deinde si Ecclesia medio Trident. concedit omnibus sacerdotibus quicumque sint administrare posse Eucharistiam cuiusque fidelis, excepta illa triplici communione. Quomodo urget excommunicatio lata, & reseruata in Clement. *Religiosi. De priuilegio aduersus religiosos,* qui sine licentia Pastoris clericis, aut laicis sacramentum Eucharistiae ministrare praesumpserint. Haec enim excommunicatio per Concilium, Trident. abrogata esset. Denique priuilegia tum religiosis, tum aliis saecularibus concessa administrandi Eucharistiam superfluerent. Quapropter affirmandum est in praedicto loco Concilij nullam iurisdictionem sacerdotibus pro huius sacramenti administratione concedi. Et ad argumentum dicimus Concilium optare, vt omnes fideles ad communionem singulis diebus faciendam se disponant à quo autem sacerdote communicatio accipienda sit, non definit. Christus autem sacerdotes instituit, vt sumant, & dent ceteris, ceteris inquam, quorum pascedorum cura sibi commissa est.
4. Monent tamen Doctores facultatem pro huius sacramenti administratione sufficere praesumptam, quae consistit in eo quod ex aliqua causa probabiliter iudices proprio sacerdoti non fore ingratum, quod eius ouibus Eucharistiam ministret. Cum enim haec iurisdictione requisita non sit pro valida, sed pro licita huius sacramenti administratione, opus non est delegationem facultatis praecedere, sed ex eo quod rationabiliter speras delegandum, si peteres, sufficit iure ipso disponente, vt delegata censetur. Sic Ioan. Azor. *lib. 10. institut. moral. cap. 23. quest. 2.* Nauarr. *cap. 21. num. 52.* Suar. *disp. 72. sect. 2. paulo post prin. Valq. disp. 219. cap. 3.* Ex hac praesumpta facultate credo plures sacerdotes simplices excusari, ne peccent administrando Eucharistiae sacramentum, cum sacrum faciunt. Est enim satis receptum petere fideles à sacerdote celebrante quicumque sit, formulam ad communicandum apponant, qua posita, & consecrata sacerdos ministrat absque ulla scrupulo, aut examine an communicantis parochus consentiat, credit enim ex recepta consuetudine consenturum, quoties communicatio non ex obligatione, sed ex deuotione fit. Adde iam ferè omnes fideles in Hispania Bullam Cruciatam accipere, quae ex satis probabili sententia conceditur accipienti vt possit sacerdotem eligere qui sibi Eucharistiam extra paschale tempus ministret: praesumere ergo possunt sacerdotes electi sibi petentes administrationem Eucharistiae habere facultatem vel à parcho, vel à Bulla Cruciatam eligendi sacerdotem, quem maluerint.
5. Qui vero Eucharistiam ministraret absque ulla facultate praeter peccatum mortale nullam penam ipso iure incurreret,

incurret, nisi sit religiosus. His enim excommunicatio reserata Pontifici ipso facto imposita est in Clement. *Religiosi de priuileg.* si absque licentia specialia parochorum eorum subditis Clericis, vel laicis Extrema-Vnctionis, vel Eucharistiae sacramentum ministrare praesumpserint. Nomine licentiae specialis non debet intelligi quae personam ministrantem, vel cui ministranda est Eucharistia specialiter, & expressè designet, neque etiam quae specialiter hoc sacramentum designet, sed quae huic speciali designationi aequiueat. Quare si parochus concedat omnibus suis subditis, vt à quocunque sacerdote omnia, & singula sacramenta recipere possint: religiosus Eucharistiam ministrans ex licentia speciali, hoc est expressa ministrat, sicuti bene notauit Valq. *disp. 219. circa finem.*

6. Praeter iurisdictionem aliquis crederet requiri approbationem ab Ordinario, vt hoc sacramentum Eucharistiae ministrari possit. Etenim cum Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.* hanc approbationem exposculet pro sacramenti poenitentiae administratione, & Eucharistia poenitentiam consequatur, efficit videtur etiam pro Eucharistia approbationem requiri. Sed contrarium longe verius est. Non enim lex grauis sacerdotem extendi debet ex vno casu ad alium, maxime cum non vigeat eadem ratio. Ad sacramentum enim poenitentiae exposculat Concilium approbationem sacerdotis, quia difficile administratur vt par est ob varios casus ibi occurrentes, quae difficultas in Eucharistiae administratione non cernitur, ideoque opus erat personas administrantes poenitentiam esse specialiter à superiore examinatas, & approbatas, secus pro Eucharistiae administratione. Et ita sustinet Suar. *disp. 72. sect. 3. circa med. Aegid. de Coninch. qu. 82. art. 3. circa finem.* Valq. *219. cap. 5. n. 57.*

PUNCTUM XIX.

De facultate religiosi concessa pro ministratio-
ne Eucharistiae.

1. Expenduntur priuilegia religiosi concessa.
2. De exceptione facta pro die resurrectionis.
3. Non dies dominica materialis, sed qua communio Paschalis accipitur, excepta est.
4. An ex priuilegio concessio ordini S. Hieronymi cesset haec exceptio? Apponitur quadam sententia affirmans.
5. Sed non videtur probanda.
6. Quid intelligatur in priuilegio Pauli III. Societati concessio illis verbis. Nisi necessitas vigeat.
7. Vagi peregrini, & forenses ob quam rationem possint Eucharistiam suscipere.
8. Praeter communionem paschalem à priuilegio religiosorum excipitur communicatio in articulo mortis ex obligatione, non ex deuotione.
9. Qualiter intelligantur verba Pauli III. Nisi necessitas vigeat.
10. Tandem excipitur à priuilegio religiosorum specialis Praelati prohibitio.
11. Religiosi possunt aliis facultatem concedere ministrandi Eucharistiam in suis Ecclesiis.

1. **V**aria sunt priuilegia religiosi concessa quibus ab incurrenda excommunicatione lata in Clement. *Religiosi de priuileg.* excusantur. Nam Nicolaus V. concessit minoribus vt excepto resurrectionis die omnibus Christi fidelibus sacram Eucharistiam ministrare possint. Sic habetur in *lib. monumenta ordinum. concess. 149. & in supplement. concess. 149. & 150.* Idem concessit Sixtus IV. & Leo X. sicuti habetur eodem *lib. concess. 160.* & refertur in *compend. nostr. priuileg. verbo Eucharistia §. 1.* Quod priuilegium non solum religiosi Mendicantibus, sed non mendicantibus affirmant Ioann. Azor. *t. 1. institut. moral. lib. 7. cap. 41. quae. 7.* esse concessum Paul. III. in bulla Societatis concessa anno 1545. quae incipit: *Cum inter cunctas conceditur omnibus religiosi Societatis facultas post missas, seu ante illarum celebrationem, aut aliis Christi fidelibus Eucharistiae, & alia Ecclesiastica sacramenta sine alicuius praedictio ministrandi, dicecesanorum locorum, rectorum parochialium, & aliarum Ecclesiarum, aut quorumlibet aliorum minime requisita licentia.* Et idem Paul. III. in alia Bulla anno 1549. id ipsum clarioribus verbis explicuit. Omnibus Christi fidelibus (inquit) quocunque anni tempore praeterquam in festo paschatis, resurrectionis dominicae, & mortis articulo, nisi necessitas vigeat, parochialium Ecclesiarum rectorum licentia minime requisita ministrare liberè, & licitè valeant. Ex quibus priuilegiis manifestè constat religiosos Societatis Iesu, reliquosque Mendicantes, imò & non Mendicantes qui in priuilegiis Mendicantium communicant Eucharistiam ministrare posse toto anni tempore, excepto resurrectionis die, & mortis articulo, & prohibitione Praelati interueniente.

2. Primò excipitur resurrectionis dies. Sed an solus dies

dominica resurrectionis excipiat, an dies, quo in festo resurrectionis ex obligatione communicare debeas? Variant Doctores Nauarr. *cap. 21. num. 52. Azor. dicto cap. 41. quae. 7. Heuriq. lib. 8. cap. 55. Eman. Saà Eucharistia. num. 10.* affirmant solum illum diem dominicum resurrectionis excipi, quia sic indicat verborum proprietates, aliàs deberet dicere praeterquam in Paschate resurrectionis dominicae, sicuti dixit Nicol. V. & Paul. III. Ergo ex supradictis priuilegiis Sixti IV. & Leonis X. & Pauli III. poterunt religiosi ministrare Eucharistiam omnibus Christi fidelibus, siue praepro Ecclesiae satisfacere velint siue non quolibet alio die praeter diem dominicum resurrectionis, ipsique sic communicantes praepro Ecclesiae satisfaciant.

3. Ceterum multo verius est non diem dominicum resurrectionis materialem, sed formalem, id est, quo praepro Paschalis communionis impletur, supradictis priuilegiis intelligi. Quia intentio Pontificis in excipiendo resurrectionis die à priuilegio religiosi concessio Eucharistiam ministrandi fuit, intactum & illaerum conseruare praepro latum in *cap. omnis vtriusque sexus de poenitent. & remissionib.* quo cauetur omnes obligatos esse de manu proprii parochi tempore paschali communionem accipere, vt eo facto proprium pastorem recognoscant. At hi. finis nullatenus obrineretur, si omnes à religiosi accipere communionem praeproam possint, tamen non possint eam in die dominico resurrectionis accipere. Atque ita posse religiosos communionem concedere eo die resurrectionis omnibus illis, qui & praepro communionis Paschalis satisfecerunt, vel intencionem habent sequentibus diebus satisfaciendi. Firmant vt probabilis Suar. *disp. 72. sect. 3. & t. 4. de relig. tract. 10. lib. 6. cap. 3. num. 7. Aegid. de Coninch. quae. 82. art. 3. num. 31. Mirand. man. Praelati. t. 1. q. 42. art. 2. Valq. disp. 219. cap. 4. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. cap. 7. n. 4. Fagundes de Euchar. lib. 1. c. 5. n. 9. & lib. 3. c. 2. n. 18. Bonac. disp. 4. q. 5. p. 1. num. 12. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 23. n. 19. & alij apud ipsos.*

4. Grauior tamen est difficultas, an ex priuilegio concessio conuentui B. Mariae de Guadalupe, aliisque domibus religiosorum S. Hieronymi possint omnes religiosi Eucharistiam ministrare cuiusque fideli in die resurrectionis, tamen ea communione velit praepro Ecclesiae satisfacere? Etenim Man. Rodrig. *t. 1. quae. regul. quae. 56. art. 3. §. quantum ad secundum.* Hieronym. Sorbo. in *compend. priuileg. fratrum minor. & aliorum Mendicantium, verbo communicare.* Vega. *4. p. casuum conscient. casu. 4.* testantur Nicolaum V. concessisse monasterio B. Mariae de Guadalupe, vt omnes Christi fideles confluentes possint Eucharistiam eidem accipere etiam in paschate, & satisfacere praepro annuae communionis quod priuilegium Paul. III. testè Cardin. Antonio summo illius Pontificis Poenitentiaro extendit ad capellas, grangeas, & loca alia eiusdem monasterij, ita vt religiosi ibidem commemorantes possint Eucharistiam ministrare quibuscunque fidelibus illuc confluentibus, & ex obligatione praepro communicantibus: sicuti refertur in *compend. priuileg. D. Hierom. §. 2. & 6.* Quinimo testantur supradicti Doctores hanc concessionem specialem extensam fuisse ad omnia monasteria illius ordinis. S. Hieronymi per Pium IV. & Pium V. tamen in illis non procedat ea ratio, quae Pontificem mouit ad primam priuilegij concessionem. Quo posito euidenter inferunt omnes Religiosos potestatem habere ministrandi Eucharistiam in die resurrectionis, & in quolibet alio die, tamen suscipiens ea communione velit praepro Ecclesiae satisfacere, quia omnibus Religionibus maxime Mendicantibus priuilegia aliarum Religionum per viam communicationis conceduntur, & ita sustinet Vega, Eman. & Sorbus *locis allegatis.*

Quod si aduersus hoc priuilegium obiciatur veni simile non esse Pontificem voluisse parochorum iurisdictioni derogare, & ab eorum cura, & sollicitudine oues proprias eximere: facile satisfacies negando hoc priuilegio iurisdictioni parochorum derogari, & ab eorum iurisdictione oues extrahi. Tum quia Pontifex est potissimus parochus ex cuius licentia, & facultate haec administratio fit. Tum quia parochia specialibus non admittitur facultas administrandi Eucharistiam suis ouibus, sed retenta eorum facultate alij in eorum leuamen, & adiutorium designantur. Quae omnia manifestè patent in facultate concessa pro administratione poenitentiae, quam Religiosi quolibet anni tempore praestant, nec tamen obinde iurisdictioni parochorum derogatur, nec ab eorum cura oues eximuntur. Quod si iterum obiciatur per non vsum priuilegium praedictum amissum esse: obstat: quia vt late probauimus *tract. 3. de legib. disp. 4. p. 18.* per non vsum non amittitur priuilegium, quod in grauamen aliorum non cedit, sicuti praedictum est priuilegium. Neque priuilegium cedens in aliorum grauamen amittitur per non vsum, nisi grauari praescribant aduersus priuilegium. At nulla est parochorum praescriptio aduersus Religiosos praedicto priuilegio gaudentes, cum à tempore Pij IV. & V. omnes Pontifices successores priuilegia à Pio IV. & V. concessa Religiosis confirmauerint.

merint. Adde hoc privilegium Religionis concessum est, non ut ex obligatione illo utantur, sed ut utantur eo pro suo arbitratu. Quoties autem sic est privilegium concessum, non amittitur per non usum, ut latius prædicto loco dixi. Vide Vegam, Eman. Rodrig. & Fagund. loc. alleg.

5. Nihilominus prædictam sententiam probare non audeo, sicut nec audeo Fagund. de Euchar. dicto lib. 1. cap. 5. numer. 16. Suar. t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. c. 3. num. 6. Mouet, quia verisimile non est extensionem factam à Pio IV. & V. admissam esse à Religiosis S. Hieronym. siquidem ea nunquam vti sunt, & multo minus admissam esse à Religiosis aliorum ordinum, & de nostra Religione id manifestum est. Tum ex constit. 7. p. c. 4. §. 5. in declarat. Tum ex compend. priuili. verbo Euchar. §. 2. Tum ex Bullis Pauli III. relatis, quibus omnibus communio Paschalis excipitur, quæ excepta non esset, si prædictum privilegium à nostris admissum esset, eoque vti possemus. Privilegium autem ut vim habeat, acceptationem illius requirit, ut latè dixi tract. de legib. disp. 4. pun. 3. §. 2.

6. Verum Paul. III. in dicta Bulla anno 1549. videtur exceptionem Paschalis communionis limitasse, ut non procedat si necessitas urgeat. Inquit enim Pontifex: facultatem concedimus Eucharistiæ sacramentum quocunque anni tempore ministrandi, præterquam in festo Paschalis resurrectionis dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas urgeat. Quæ posteriora verba existimat Suar. t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8. non solum intelligi de articulo mortis, sed etiam de festo Paschalis, ac proinde posse à Religiosis Societatis Iesu in festo Paschalis communionem præceptam suscipi, si necessitas urgeat. Tunc autem (inquit Suar.) necessitas urgebit, quando adiri non potest parochus, ut Eucharistiam ministret, vel licentiam concedat. Et idem esset dicendum, quando constaret malitiosè licentiam denegare. Tunc enim urget necessitas accipiendi communionem à Religiosis. Probabilis est doctrina, sed contraria iis, quæ ipse Suar. docuerat t. 3. in 3. p. disp. 72. sect. 2. circa finem. Quia ad communionem Paschalem fideles non astringuntur, nisi cum adest sacerdos, qui legitime ministrat; cessante ergo sacerdote, qui iurisdictionem habeat, Eucharistia non est obligatoria, imo nec necessaria, tamen si vitis foret, si eo tempore reciperetur. Ergo necessitatis titulus in communione Paschali esse non potest, ac proinde ex hoc capite necessitatis non poterunt Religiosi Eucharistiam ministrare tempore paschalis, & ita docuit Valq. disput. 219. cap. 4. in fine. Fagund. de Eucharist. lib. 3. cap. 2. num. 11.

7. Ex hac doctrina probabilis Suar. videbitur alicui dicendum vagos, peregrinos, & forenses, quique fixum domicilium non habent, suscipere communionem parocholem posse à Religiosis, quia videtur necessitas urgere, cum non habeant parochum, quem adire debeant. Cæterum ob hanc rationem nullatenus Religiosis facultas concedenda est, ut bene probat Suar. dicto t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8. 9. & 10. Nam vagorum parochus, quinimo & peregrinorum, & forensium ille est quoad sacramentorum administrationem, qui fuerit illius parochiæ, in qua vagi, peregrini, & forenses commorantur. Ergo ad illum accedere possunt pro sacramentorum administratione, ipseque eis sacramenta ministrare tenetur. Ergo si huiusmodi parochus velit his vagis, peregrinis, & forensibus Eucharistiam ministrare, nulla erit necessitas accedendi ad religiosos. Ergo ex exceptione necessitatis Religiosi non habent facultatem his vagis, peregrinis, & forensibus Eucharistiam ministrandi. Verum ex eo quod supra dicti situm domicilium non habeant ubi commorentur, possunt Religiosi eis Eucharistiam ministrare tempore Paschali, quia prædictis parochis vtprope non firmis, & instabilibus nulla videtur iniuria irrogata, si illis inconsultis Eucharistiam Religiosi vagis, & peregrinis ministrant. Atque ita sustinet, & optime probat Thom. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 23. numer. 17.

8. Secunda exceptio est de articulo mortis. Et quidem si in eo articulo velis sæpius communicare, cum ea repetita communio non ex obligatione, sed ex deuotione fiat, sine dubio possunt tibi Religiosi Eucharistiam ministrare, quia illa communio esto fiat in mortis articulo, id per accidens est, cum iam obligationi illius feceris satis, ut bene notauit Suarez t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 13. Nec tamen obinde inferitur tibi agrotanti, & ex deuotione communicanti posse Religiosum per vicis, & plateas deferre Eucharistiam, quia illa solemnitas ministratio parochorum est propria. Suar. dicto cap. 3. nu. 12. Quare exceptio solum intelligitur de communione in articulo mortis ex obligatione, quam Religiosi, & sacerdotes seculares facere non possunt, nisi periculum addit decedendi sine viatico, nisi ipsi administrent. Nam stante ea necessitate omnibus sacerdotibus tam Religiosis, quam secularibus concessa est à iure in cap. quod in te, de penitent. & remission. facultas Eucharistiam ministrandi. Nam esto prædictum caput solum loquamur de penitentis sacramento, omnes Doctores Eucharistiam per viaticum sumendam ad grauem illius necessitatem extendunt. Adde, si ob peri-

culum mortis absente sacerdote est concessa facultas diacono ministrandi Eucharistiam, ut punct. 17. diximus: à fortiori sacerdoti concessa erit. Et ita sustinent Suar. de Euchar. disp. 72. sect. 2. in fine & t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. a. n. 11. Valq. disp. 219. cap. 4. in fine Henric. lib. 8. cap. 55. n. 1. Fagund. de Euchar. lib. 3. cap. 2. n. 20. Agid. de Coninch. qu. 82. ar. 3. in fine, num. 32.

9. Sed hinc oritur graue dubium, qualiter intelligantur verba Pauli III. concedentis Religiosis Societatis Iesu, ut possint Eucharistiam in articulo mortis ministrare, si necessitas urgeat, nam necessitate urgente in te communi omnibus sacerdotibus ea facultas concessa est, ut quid ergo Pontifex eam exceptionem fecit; cum nihil videantur ea verba operari? Respondeo id factum esse ob maiorem securitatem. Enim cum sint plures, graueque Doctores negantes Eucharistiam à Religiosis administrari posse in articulo mortis absque parochi speciali licentia, tamen agrosus esset sine viatico decedens, ut docuerunt Syluest. verbo excommunicatio 7. excommunicatio 14. num. 32. dub. 3. Nauarr. cap. 21. num. 52. Congruum fuit eam exceptionem necessitatis urgentis exprimere, ut ea expressa omnis occasio dubitandi tolleretur. Sic Suar. t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. n. 15.

10. Tertia exceptio est prohibitio Prælati. Si enim Prælati ob aliquam rationabilem causam (quæ semper præsumenda est) Eucharistiæ sumptionem tibi absque eius facultate speciali prohibeat, nequis pro Eucharistia suscipienda ad Religiosos accedere, neque ipsi tibi eam ministrare possunt, quia esset ministratio cum manifesto Prælati præiudicio, quam Pontifex in concessione generali nunquam censetur concedere. Et forte ob hanc causam Paul. III. in privilegio Societatis concessio administrandi Eucharistiam ea verba apposuit sine alicuius præiudicio. At idem est, si Religiosus vellet Ecclesiam parocholem adire, ibique inconsulto parochi Eucharistiam ex hostiis in sacratio repositis ministrare. Hic enim modus administrandi Eucharistiam non intelligitur concessus in generali concessione: est enim parochi offensiuus, ut bene docet Suar. t. 4. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 4.

11. Ad extremum nota ex privilegio Iulij II. Minimis concessio, non solum Religiosi possunt Eucharistiam in suis Ecclesiis ministrare, sed ministrandi facultatem aliis concedere. Habetur in supplement. Minor. concess. 143. & refertur in depend. nostror. privileg. verbo Eucharistia §. 4. & notauit Agid. q. 82. art. 3. circa finem. Suar. dicto cap. 3. num. 5. Quinimo non solum ex superioris licentia, sed etiam ex sacristæ, qui creditur superioris vices habere possunt simplices sacerdotes in nostris Ecclesiis quibuslibet Christi fidelibus Eucharistiam ministrare, sicuti Societatis Religiosi. Sic aliis relatis docuit Henric. cap. 55. in comment. litt. C. Eman. Saâ; Eucharistia n. 14.

PUNCTVM XX.

De obligatione, quam sacerdotes habent ministrandi Eucharistiam.

1. Omnes sacerdotes tenentur in articulo mortis Eucharistiam morienti ministrare: Parochus ex officio.
2. Ab hac obligatione non excimtur parochus ob vitæ periculū.
3. Quoties fideles rationabiliter petunt Eucharistiam, tenentur parochus ministrare.
4. Regulares ab hac obligatione excimuntur.
5. Omnibus damnatis ad mortem ministrari Eucharistia debet.
6. Quando ab hac obligatione iudices excimantur.
7. Quo tempore ante mortem danda est iis Eucharistia.
8. Qualiter indispositis ad communionem Eucharistia ministrari possit? Præmittitur distinctio de peccatore publico & secreto.
9. Peccatori publico petenti Eucharistiam eo loco, quo publicus est, negari debet.
10. Si in diuerso loco petat, plures censent concedi debere.
11. Verius est oppositum, nisi intelligas emendatum esse.
12. Proponitur obiectio, & declaratur qualiter constare debet aliquem communioni esse indispositum, ut repelli debeat.
13. Peccatori occulto publico petenti, Eucharistia concedi debet.
14. Proponitur obiectio, & soluitur.
15. No. danda est differentia inter sacerdotem obligatum administrare, & inter eum, qui nullam habet obligationem.
16. Peccatori occulto, sed probabili, si monitus sit, negari Eucharistia potest ex probabili sententia.
17. Peccatori occulto, neque emendato, si Eucharistiam secreto petat, deneganda est.
18. Limitat Soto, ne procedat in parochi tempore obligationis, sed non admittitur limitatio.
19. Si ex confessione sacerdos indispositionem agnoscat, plures censent negari non posse Eucharistiam, etiam si nullus alius à sacerdote ad sit negationi.

20. Verius est oppositum.

21. Leniter, & probabiliter suspectis negari non debet Eucharistia, bene tamen suspectis vehementer.

22. Limitant aliqui, ne procedat in articulo mortis. Ex qua limitatione nascitur graue dubium, an heretico qui ut negatiuus damnatur morti, concedi possit Eucharistia.

23. Qualiter in suspectis ad purgandam suspicionem concedi Eucharistia possit.

1. Conueniunt ferè omnes Doctores quemlibet sacerdotem siue sacularem deficientem parochio obligatum esse in articulo mortis Eucharistiam morienti ministrare. Quia quilibet ex charitate tenetur proximo suo extremè indigenti subuenire, hoc salutari, efficacissimo, & fortè necessario salutis remedio. Parochus autem non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia hac obligatione astringitur. Cui obligationi ut satisfaciatur non solum vocatus ministrare Eucharistiam morienti debet, sed etiam accuratè inuestigare, an in sua parochia sint aliqui infirmi in periculo mortis constituti, quibus Eucharistia ministranda sit, sicut colligitur ex cap. 1. de celebrat. missar. & notauit Layman, lib. 5. sum. tract. 4. cap. 5. num. 6.

2. Quod si ex ea administratione periculum vitæ parochio imminet, sicuti tempore pestis imminere solet, non obinde ab obligatione iustitiæ parochus excusatur, nisi adsint alij sacerdotes, medijs quibus huic obligationi satisfacere possit, vt late probauit tract. 6. de charit. disp. 1. pun. 9. circa finem. Reliqui vero sacerdotes, qui officio aut professione salutis proximorum incumbere non tenentur, ab obligatione ministrandi Eucharistiam cum periculo mortis exculantur, quia hoc sacramentum non est morituro simpliciter ad salutem necessarium, cum possit contritione salutem consequi, sicuti dixi loco proximè allegato.

3. Deinde obligantur parochi ex iustitia Eucharistiam suis ouibus ministrare, non solum cum ex præcepto obligantur communicare, sed etiam quoties, spectata eorum conditio, & reuerentia sacramento debita, rationabiliter petierint, quia iure perunt quod sibi valdè vtile est cui petitioni parochus obligatus est annuere. Non enim parochus tantum est constitutus, vt necessaria suis ouibus ministraret, sed vt ministraret valdè vtilia, alijs salutis ouium satis profusum non esset. Sic Nauarr. capite placuit de penitent. disp. 6. nu. 152. Suar. disp. 72. sess. 3. in princ. Bonac. disp. 4. quæst. 5. p. 1. num. 15. Fagund. de Eucharist. lib. 3. cap. 3. contra Richard in 4. disp. 18. art. 2. quæst. 3. Syluest. confessor. 1. §. 18. A milla verbo absolutio nu. 27. Ioann. Med. de confess. quæst. de confess. per curatos audienda, afferentes solum obligatos esse parochos penitentiam & Eucharistiam ministrare ouibus, cum oues obligantur ea sacramenta suscipere.

4. Huic tamen obligationi regulariter non tenentur parochi per se satisfacere, sufficit si oues remittant sacerdoti, qui aequè benè, & faciliè eis Eucharistiam ministrat. Quocirca cum ferè in omnibus locis Religiosi adsint, qui ex deuotione communicantibus Eucharistiam ministrant, raro parochus obligari poterit per se Eucharistiam ministrare, sicuti notant Bonac. Suar. Fagund. supra.

Posita obligatione parochi ministrandi Eucharistiam, superest explicandum, an sint aliqui casus, quibus à prædicta obligatione excusentur.

1. Primus est de damnatis ad mortem ob crimina perpetrata, an iis ministrari Eucharistia debeat, si humiliter petant. Consuetudo olim fuit in Hispania, & Lusitania teste Covarrun. lib. 2. var. cap. 1. n. 11. negandi Eucharistiam morte damnatis prætextu reuerentie tanto sacramento debitæ, & ne ipsi damnati infamem mortem indictam impia sui occasione præuenirent. Sed hanc consuetudinem vixit iuri, & Christianæ pietati contrariam meritò abrogauit Pius V. in constit. speciali edita de hac re, quamque approbavit Philipp. II. Hispaniarum Rex sua lege anno 1569. Etenim cū Eucharistia iis potius hominibus, vt magis afflictis, maioreque peccatorum pondere grauat, maiorque in periculo constitutis noua odij, & impatientiæ peccata cōmittendi magis necessaria sit, nullatenus debebant priuati tanto beneficio, præcipue cum inde nulla irreuerentia sacramento fiat, neque morale periculum sit, quod damnati se occidant, alijs non deberent vitæ quam de morte imponenda mōeri. Quapropter iudices tenentur reis tempus opportunum concedere, quo se possint ad penitentiam, & Eucharistiam suscipiendam præuenire. Neque vlla consuetudine contraria, quæ corruptela est excusari possunt. Sicuti benè tradunt Henric. lib. 8. de Eucharist. cap. 5. num. 4. Nauarr. cap. 25. num. 23. Petr. Nauarr. lib. 2. cap. 3. num. 228. Suar. disp. 69. sess. 3. Tolet. lib. 2. cap. 18. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quæst. 4. Bonac. disp. 4. quæst. 7. p. 1. num. 5. Eman. Saà, Eucharistia numer. 2. colligiturque aperte ex capite quæstium 13. quæst. 2. & ex Clement. cum secundum de penitent. & remission. Qui textus esto solum de penitentia sacramento loquantur, communiter Doctores extendunt ad Eucharistia sacramentum ex c. quod in re, de penitent. & remiss.

& Gloss. in dicta Clement. Quod adeo verum est, vt etiam relapsis hæreticis communicatio deneganda non sit, sicuti dixi tract. de sile disp. 6. p. 1. num. 14. & vltra ibi relatos ibi docent Henric. lib. 8. c. 5. num. 4. Fagund. de Eucharist. 6. lib. 1. cap. 4. num. 3.

6. Ab hac obligatione concedendi tempus ad Eucharistiam suscipiendam excusantur iudices, si ex concessione timeatur graue damnum Reipublicæ, vel alicui tertio euenturum, quod alia via quam celeri morte impediri non potest. Neque enim tenentur iudices bono spirituali non necessario nocentis prospicere cum graui boni communis, vel innocentis iactura. Sic ex alijs notat Fagund. de Euchar. lib. 1. cap. 4. num. 3. Quinimo alij nec improbabiler excusant iudices ab hac Eucharistia concessione, si prudenter timeant eo tempore reum esse ab eorum potestate violenter eripiendum, nec impedire possint. Expedi enim reipublicæ, ne rei impuniti recedant, & reuerentia sacramento, ne eius occasione violentia, & iniustitia exerceantur. Raro tamen id præsumi potest. Illud vero existimo certum, si reo his concessum est tempus ad penitentiam & communionem opportunum, ipse vero illorum susceptionem malitiosè distulit vt mortem fugiat, vel differat, non esse obligatos iudices iterum opportunum tempus concedere, alijs in potestate rei positum esset mortem euadere, iudicumque potestas elideretur, & reipublicæ non leue detrimentum proueniret. Sic ortus lib. 5. de iustit. quæst. 1. art. 2. Reginald. lib. 29. num. 71. Bonac. disp. 4. quæst. 7. pun. 1. num. 7.

7. Etsi vna hora ante mortem Eucharistia concedi reo possit, decet tamen vt pridie ante mortem concedatur, vel saltem quatuor, vel sex horis ante Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. quæst. 4. Saà Eucharistia num. 2. Fagund. de Eucharist. lib. 1. cap. 4. num. 3.

8. Secundus casus est de iis, qui indispositi sunt ad Eucharistia susceptionem ob peccatum commissum, an possint eis sacramentum ministrare. Pro cuius solutione præmittendum est diuersimodè tibi constare posse accedentem ad communionem indispositum esse. Primò publicè. Secundo secretò. Publicè tibi constat, si constet confessione ipsius in iudicio facta. Secundo si sententia condemnatoria lata fuerit. Tertio si criminis patratio nulla tergiversatione elari possit. Secretò constat, si constet ex notitia, quæ prædictam publicitatem non attingit. Deinde præmittendum est peritorem sacramento publicam esse posse, vel secretam. Item eo in loco, in quo est publicum delictum, aut alio in quo est secretum.

9. Si peccatum publicum sit iure, vel factò, & in eo peccator perseverat, petatque Eucharistiam eo in loco, quo publicum est, omnes Doctores affirmant re debere Eucharistiam negare, quia petens nec ius verum, neque appetens habet petendi. Quod adeo verum est, vt esto petat eorum iis qui delictum ignorant, nullatenus concedi possit, quia absolutè petit quod sibi indebitum est, præcipue cum speretur breui tempore coram ipsis delictum euulgandum. moraliter enim reputari debet sacramentum petitur coram scientibus delictum, siquidem breui tempore præsumunt delictum scituri. Colligitur conclusio ex cap. multi. 2. quæst. 1. Cypriano Episc. 61. Concil. Aurelian. 1. cap. 5. & pluribus firmat Suar. disp. 67. sess. 2. Valq. disp. 209. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. qu. 3. & alij communiter. Adde supradicto peccatori Eucharistiam denegandam esse, quotiesque publicè constet emendatum esse, tamen si secretò emendatus sit, alijs non virabit scandalum iniquæ susceptionis, & administrationis. Etenim cum ipse publicè petit Eucharistiam, publicè constare debet de recta illius dispositione, iuxta cap. si peccauerit 2. quæst. 1. Poteris tamen faciliè hoc scandalum vitare, si ex licentia penitentis astantes moneas de illius recta dispositione. Sic docent Nauarr. cap. sacerdos disp. 6. de penitent. num. 21. Henric. lib. 8. cap. 56. num. 3. Saà Eucharistia num. 17. Laymann. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. qu. 3.

10. Si autem peccator in peccato perseverans Eucharistiam petat eo loci, quo eius delictum euulgatum non est, nec præsumitur euulgandum, plures doctores censent re posse, & debere Eucharistiam concedere, ne ibi proximum bonam famam retinentem infames. Nam esto probare posses ex delicto alibi commissò nec emendato esse petentem indispositum; at quotiesque id probes, non potes bonum commune Eucharistia illi denegare, & famam illius priuata tua auctoritate lædere. Sic Valq. disp. 209. cap. 2. circa finem. Fagund. de Euchar. lib. 3. c. 10. num. 7. & sequ.

11. At verius credo te posse Eucharistiam negare. Nam esto ex charitate teneris alibi infamem denud non infamare absque causa rationabili. At rationabili causa urgente, qualis est vitare malam sacramenti susceptionem nequaquam teneris famæ proximi prospicere, præcipue cum ipse absque vilo iure se ingerat communioni, & periculo infamationis exponat. Quinimo existimo non solum te posse, sed debere Eucharistiam sic petenti negare. Quia ex obligatione teneris sacramenti irreuerentiam vitare cum commodè potes, alijs non esse

scilicet fidelis dispensator. Sed non obstante infamatione proximi eo loco potes Eucharistiam illi denegare, quia alibi notatum est esse indispotum. Ergo teneris. Et ita sustinet Suarez.

diff. 4. c. 4. q. 1. in fine

Verum si probabiliter presumere potes peccatorem emendatum esse, vel certe semper teneris presumere, cum tibi contrarium non constet, sine dubio obligatus es ei Eucharistiam concedere; quia ex ea concessione neque scandalum etiam late sumptum sequi potest, cum suscipiens Eucharistiam bene eo loci audiat, neque sacramento irreuerentiam ullam irrogas, cum prudenter credas rite disposito concedere. Sic Valqu. *disp. 209. chap. 2. Fagund. de Eucharist. lib. 3. chap. 10. num. 7.*

Sed hinc oritur non leue dubium practicum, raro, vel nunquam peccatori publico publice petenti Eucharistiam etiam eo loco, quo publicus peccator est, denegandam esse. Nam esto iure, vel facto publicus peccator extiterit, potest peccati penituisse, si queo videris obligatus presumere, cum Eucharistiam publice petit. Etenim ab Eucharistia nemo repellit potest, nisi ob peccatum nondum odio habitum, vel ob excommunicationem a qua non sit absolutus, vel ob preceptum superioris communionem interdicentis. At hac omnia impedimenta te inficio sublara esse possunt, si queo presumendum videtur ex eo quod publice Eucharistia postulatur. Ergo raro quempiam repellere a communione poteris.

Ob hanc obiectionem existimo summa prudentia opus esse in repellendo peccatore a publica communione. Sed ab hac prudentia alienum non est, sed potius omnino debitum quod moraliter tibi constet, faciisque aliis constare petentem Eucharistiam a peccato delictis, recteque dispositum esse ad illius susceptionem. Nam cum peccatum notum tibi aliisque sit, expedit, omnino & tibi, & aliis recessum ab eo notum esse. Ex sola autem Eucharistia petitione insufficienter hic recessus presumi non potest. Debet ergo tibi aliunde constare scilicet testimonio confessoris, vel Praelati absolventis, tollentisque impedimentum, si ab eo positum est. Neque suscepturus Eucharistiam conquiri potest, quod ab eo hoc testimonium suae rectae dispositionis exigas. Quod maxime verum habet in peccatore publico per modum status, qualis est meretrix, viciarius, histrion turpes comedias exercens, secus modestas ad populi recreationem. Hi enim Eucharistiam petentes testimonium penitentiae praestare debent & sacerdoti, & aliis. Idemque testimonium praestare debet excommunicatus denunciatus, qui cum scandalo populi in excommunicatione persistit. Qui vero homicidium, adulterium, aliudve delictum perpetravit, si aliam Christianam procedebat, communicatio concedi potest eo solum quod communione sibi dari publice petat, quia prudenter praesumi potest dignum ad communionem accessurus.

13. Si vero peccator occultus sit, neque emendatus, & Eucharistiam petat publice concedi potest, secus si secreto petat. Est conclusio ab omnibus recepta cum D. Thom. q. 80. art. 6. Prima pars habetur expressè *cap. si rari sum. cap. placuit 6. quæst. 2. c. si sac. r. de officio ordinarij.* Ratio est quia praesumi non potest Christum velle Eucharistia ministracionem in graue detrimentum suscipientis cedere, cum in fidelium fauorem fuerit instituta. At si occulto peccatori publice Eucharistia negaretur, cederet in graue illius detrimentum, si quidem ea negatione secretum illius peccatum manifestaretur. Non igitur credendum est Christi voluntatem, eam esse. Præterea occultus peccator, & publice iustus publice probatur dignus Eucharistia. At in publica bonorum communium distributione iniustum est repellere ut indignum, qui ut dignus publice probatus est. Ergo iniustum est publice negare Eucharistiam tanquam indigno peccatori occulto, & publice iniusto. Notanter dixi iniustum esse negare Eucharistiam publice, peccatori occulto tanquam indigno. Nam si alia via negare Eucharistiam potes scilicet consumendo hostias consecratas antequam ad peccatorem peruenires, illumque simul, cum aliis absque communione relinquendo, sine dubio id facere posses, & deberes; quia illa non est publica, & infamis repulsa, sed prateritio, & prudens quadam ministracionis omisso.

14. Quod si obicias illicitum esse concedere Eucharistiam peccatori, quem secreto euidenter scis eam sumere vel le ad conculcationem, vel vsum magicæ artis, ergo neque licebit concedere, ut sumat, cum eius corpus, & anima Deo sint odibilia? Respondeo negando consequentiam, nam dispensatio sacramenti ad conculcationem, ve vsum magicæ artis, aliena est ab institutione huius sacramenti. Neque est dispensatio communis, & nomine Christi, sed iniqua distributio, & nomine distribuentis facta, ac proinde honestari non potest ex sola publica suscipientis dignitate cognita illius secreta malitia. Bene tamen dispensatio publica sacramenti in cibum, & potum suscipientis honestari potest ex publica suscipientis dignitate, quia est dispensatio communis, & propria huius sacramenti, & nomine Christi facta. Et hinc soluitur argumentum, quare non

possis concedere eum apud te depositum ei, quem scis petere ad se, vel alium occidendum, tamen publice petat; potes tamen concedere Eucharistiam in cibum, & potum: quia eius concessio non est dispensatio communis, & publica, quae publica tantum suscipientis dignitate honestatur, sed est quadam dispensatio priuata, ac proinde ex priuata notitia indignitatis suscipientis regulari debet. At Eucharistia dispensatio publica, est publica illius ministratio, nomine Christi facta, ideoque ex publica suscipientis dignitate, vel indignitate licitus, vel illicitus huius vsum desumendus est. 15. Notanda tamen est differentia inter sacerdotem obligatum ministrare Eucharistiam, & inter illum qui huius ministracionis nullam habet obligationem. Si enim secretus peccator, neque emendatus petat a te Eucharistia ministracionem, cum nullam obligationem ministrandi habeas, negare poteris, quia illa non est negatio publica, sed priuata, & debita, neque reputari potest indigna repulsa, sed liberalis cuiusdam ministracionis omisso. Secus si cum petit, obligationem habes ministrandi, & publice petit, publice repellere non potes. Ex quo fit, si peccator occultus a te qui parochus non es, ministracionem Eucharistia publice petat extra casum extreme necessitatis, antequam in altari existas ad sacramenti ministracionem expositus, posse, & debere ei Eucharistia negare, quia ut persona priuata negas, & non ut publica, siquidem non es ab Ecclesia actu constitutus publicus Eucharistia dispensator. Secus esset dicendum, si in altari ad dispensandum esses expositus, quia eo casu iam ab Ecclesia es dispensator publice constitutus, ac proinde nemini ut indigno negare publice Eucharistiam potes, qui publice non probetur indignus. Et idem est si parochus esses, & peccator Eucharistiam publice petere tempore quo alias obligatus esses ministrare, negare nullatenus posses, quia negares ut indigno Eucharistiam qui publice dignus probatus est. Suarez. *diff. 67. c. 4.*

16. Placet tamen aduertere improbabile non esse quod Henricus. *lib. 8. cap. 57. num. 2.* peccatorem, cuius indispositio ad sacramentum probari testibus potest, ab Eucharistia susceptione repellere possit, tamen si publice petat dummodo prius monitus sit secreto, & recedere non velit, quia cum iuste possit accusari & denunciari, & in exteriori foro de crimine conuinci, non videtur ei irrogari iniuria anticipata illa negatione, cui ipse causam dedit. Etenim illa negatio non est iudicialis Eucharistia priuatio, sed charitativa ministracionis suspensio, & Eucharistia defensio, & custodia, quousque suscipientis dignitas examinetur.

17. Secunda pars conclusionis scilicet peccatori occulto, neque emendato, si secreto Eucharistiam petat denegandam esse facile probatur: quia sacerdos ex officio tenetur vitare quamlibet sacramenti irreuerentiam, & prauam illius susceptionem, si id facere possit absque graui damno proprio, vel alterius. At si peccator Eucharistiam secreto petat nulla ei irrogatur iniuria, si denegatur, nullumve scandalum sequitur, siquidem ab omnibus in quorum conspectu denegatur, indispositus esse cognoscitur. Ergo. Quod si ex tribus ibi obstantibus vnus tantum esset ignarus indispositionis, non obinde Eucharistia ministranda est, quia scandalum quod ex tali ministracione scientibus protuleret, præponderat infamiae, quæ sequi potest apud ignarum Neque infamatio apud vnum tante considerationis esse videtur, inquit Henricus. *lib. 8. c. 59. in fine*, ut valeat honestare ministracionem sacramenti peccatori factam. Ut hanc tamen negationem sacerdos praestare possit, debet certo cognoscere suscipientis indispositionem, vel ex ipsius confessione, vel ex visu, vel ex aliorum testimonio manifesto aliis grauissimè peccat repellendo ut indignum a communione, quem indignum esse ignorat.

18. Hanc tamen doctrinam limitat Soto in 4. *diff. 12. q. 1. a. 6.* ne procedat in parcho, cum tempore precepti, vel extreme necessitatis peccator occultus ab eo Eucharistiam petit, quia petit quod parochus obligatus est ministrare ex officio, cuiusque susceptionis ipse probatus non est indignus. Sed hac limitatio nullatenus admittenda est, sicuti neque eam admittit communiter Doctores, teste Valq. *diff. 109. cap. 5. in num. 49.* Etenim secreta denegatio Eucharistia a parcho facta non est occultus peccatoris iudicialis punitio, quæ culpam iuridicè probata requirit, sed est quadam denegatio praemii, quod est peccatori indubitum, & quadam fraternæ correctio ex obligatione proprii muneris, ad quam faciendam sola notitia certa indispositionis requiritur.

19. Sed quid si sacerdos crimen nondum emendatum ex sola confessione agnouerit? Plures & satis probabiliter censent Eucharistiam concedi debere, nec negari posse, tamen nullum adit infamationis periculum. Quia illa negatio vix excusari potest à tacita criminis exprobratione, & ligilli violatione, qua sacramentum penitentiae odiosum redditur. Sic docent Palud. *2. 4. diff. 9. quæst. 4. 2. 1. 1. 3.* Siluest. *Eucharistia 3. quæst. 5. Nauarr. cap. 21. n. 55. Valen. 1. 4. diff. 6. quæst. 8. pun. 3. Agid. de Coninch. q. 80. art. 6. Sancius lib. 3. de matr. diff. 36.*

disp. 36. num. 14. Fagund. de Euchar. lib. 3. cap. 10. num. 23. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. cap. 6. q. 3. conclus. 2. & alij.

20. Nihilominus verius censo negari supradicto peccatori Eucharistiam posse. Sic pluribus relatis Valq. disp. 209. cap. 5. sine. Suar. disp. 67. sect. 3. Moueatur: quia talis denegatio non est infamatio poenitentis, siquidem nullus alius suspicari potest negatam esse Eucharistiam ob malam suscipientis dispositionem, quia nullus alius praeter sacerdotem, & suscipientem praesens est tali denegationi, vt suppono. Neque ea denegatio vllam peccatori irrogat iniuriam, quia ipse nullum habet ius petendi Eucharistiam, cum non habeat gratiam. Neque denique est exprobratio peccati, aut sigilli violatio, sed quaedam actio orta ex scientia habita per confessionem, qua scientia vti licitum est ad proprias actiones moderandas, cum nullum adest sigilli violationis periculum. Quod hoc exemplo declaro: si enim cognosceres ex confessione peccatorem Eucharistiam petere ad illam conculcandam, sine dubio eam illi negare posses. Item si cognosceres eum a te petere, vt te interficiat, non esses obligatus illi concedere, quia horum denegatio non est peccati obiurgatio, aut reuelatio, sed prudens sacramenti, & propriae vitae defensio. Ergo denegatio Eucharistiae ob indispotionem in confessione cognitam non est sigilli violatio, aliis neque ob vitandam mortem, neque ob aliud quodcumque malum licita esse potest.

21. Tertius casus est de his, qui criminis suspicione laborant, an iis concedi possit, & debeat Eucharistia, si perant? Pro cuius solutione praemitti debet ex Glossa in cap. dixit Dominus. 22. q. 1. verbo suspicio, & ex his quae diximus tract. 4. de fide disp. 7. pun. 1. triplicem esse suspensionem, leuem, grauem, & violentam. Leuis suspicio secundum omnium sententiam communionem concedere non impedit, quia ob leuia indicia delicti nemini sunt neganda bona debita. Grauis suspicio, quae ex grauibz indicis nascitur, alicui videri posset impedire ne communio concedatur, ob periculum ne sacramentum indigno concedatur. Verum hoc periculum ministranti imputari non potest, cum non possit negare Eucharistiam ex indispotione suscipientis probabiliter tanum cognita. Etenim quilibet fidelis ius habet, vt sibi Eucharistia concedatur, qua concedenda repellere non potest, quin illius suscipiendae probetur indignus. At ex indicis, quae grauem suspensionem generant, sufficienter indignitas non probatur, possunt enim falso subesse, vtore quae probabiliter inducunt, non certitudinem. Quocirca sola suspicio vehemens, & violenta, quia morale delicti certitudinem constituit, a communione concedenda impedit: impedit namque a communione publicae, & secretae concedenda, si suspicio publica sit, a communione vero secreto concedenda impedit secreta suspicio. Sic ex communi sententia Henrici lib. 8. cap. 56. n. 5. Suar. disp. 67. sect. 6. circa finem. Valq. disp. 209. cap. 5. sine. Laym. lib. 5. sum. tract. 4. c. 6. q. 3. vers. Adde 3. Fagund. de Euchar. lib. 3. cap. 10. n. 29.

22. Limitat tamen Henrici. Suar. & Fagund. ne procedat in articulo mortis, in quo si violenter suspectus de crimine signa contritionis ostendat, a sacramenti susceptione repelli non debet, tamen (vt inquit Suar. & Fagund.) delictum non confiteatur, quia signa contritionis in eo articulo suspensionem violentam eneruant. Ex qua doctrina forte inferret aliquis, haeretico negatio concedendam esse Eucharistiam in articulo mortis, si signa contritionis dederit, tamen delictum non fateatur. Quia ob solam vehementem suspensionem impoenitentiae damnatur. Etenim cum neget delictum plene probatum, suspensionem violentam gignit ab eo nolle recedere. At suspecto vehementer de crimine in articulo mortis, inquit Suar. & Fagund. Eucharistiam concedi debere, si signa contritionis ostenderit tamen crimen non fateatur. Ergo haeretico negatio concedi poterit Eucharistia. Deinde huic haeretico conceditur sacerdos, qui possit cum a peccatis absolueret, sed cui poenitentia conceditur, Eucharistia denegari non debet, cap. quod in te de poenitent. & remission. Item praedicto suspecto exigi poterat, & de facto exigitur iuramentum de veritate manifestanda, sed cui iuramentum exigitur ad purgandam suspensionem, Eucharistia concedi potest. Ergo. Pra-

terea continget saepe sic morti damnatum ob negationem haereticis probate nullum in tali negatione peccatum committere, quia immunis est a delicto falsis testibus comprobato, vel quia ex aliqua probabili causa praesumit se esse excusatum a veritate manifestanda. Ne igitur sic damnatus absque Eucharistia moriatur, concedi omnibus debet.

In contrarium (vt credo) est consuetudo, forte quia signa contritionis praesumptionem violentam impoenitentiae non existimantur minuire, dum delictum negatur, siquidem illis signis non obstantibus reus morti damnatur. Stante autem praesumptione violenta delicti, omnes Doctores firmant Eucharistiam concedendam non esse. Ergo his haereticis negatio ius merito Eucharistia negatur. Decisionem censoribus fidei remitto. Est enim casus examinatione, & consideratione dignus.

23. Tandem inquires, an Eucharistia dari possit iis suspectis ad purgandam suspensionem? Qua in re est certum, si ea intentione derur Eucharistia, vt Deus sua omnipotentia extra naturae ordinem innocentiam suscipientis manifestet, omnino illicitum esse, quia est Dei manifesta tentatio, vt constat ex D. Thom. ab omnibus recepto 2. 2. quast. 97. art. 1. id eoque purgatio, quae per ferrum candens, & aquam feruentem aliquando fuit in vtu, merito abrogata est in cap. vlt. purgat. vlt. gar. cap. ex tuarum, & alio de purgat. canon. & cap. consubstanti. cap. Memm. cap. saepe contingit. 2. quast. 5. & tradit D. Thom. & ibi eius expositores q. 80. art. 6. Verum si iis suspectis Eucharistia concedatur, vt illius sumptione tanquam quodam iuramento aliquo modo suspensionem purgent, & veritatem delectent, ex se illicitum non est, est tamen illicitum spectata consuetudine a iure approbata. Prior doctrinae pars ex le manifeste liquet. Quae enim malitia esse potest, quod a suspectis de crimine exigatur sumptio Eucharistiae, sicuti exigitur iuramentum? Non enim in hac sumptione est aliqua Dei tentatio, tamen suscipiens Eucharistiam mortem subitanam sibi imprecetur, si male sumperit, sicuti non est tentatio, quod iurans sibi mortem subitanam imprecetur, si veritatem non dixerit. Sed in vtroque casu est quoddam execratorium iuramentum. Et sicut cum iuramentum exigitur a suspectis de crimine, non praesumitur falso iuraturum, sic cum exigitur Eucharistiae sumptio, non praesumitur male sumpturum, sed potius a sumptione Eucharistiae cessaturum. Ergo purgatio per Eucharistiae sumptionem ex se illicita non est: id eoque in concil. Vormaciensi can. 10. relato in cap. si Episcopo. 2. q. 5. & in can. 15. relato cap. saepe eadem causa. & quast. purgatio per Eucharistiae sumptionem approbatur. Quae si ex se illicita esset, nullatenus a concilio approbaretur. Nam licet illud Concilium generale non fuerit, sed prouinciale, non est credendum in re tam graui erratum.

Quod vero consuetudine approbata a iure purgatio per Eucharistiae sumptionem illicita sit, probatur efficaciter ex cap. ex tuarum de purgat. canon. ibi enim purgatio per aquam frigidam est insufficientis reparata, quia peregrina erat, & extra vsum, & inquit textus: peregrina iudicia sunt inhibita. Ac purgatio per Eucharistiae sumptionem in desuetudinem venit ob graua inconuenientia, quae inde sequi poterant. Ergo ex supradicto textu haec purgatio vt pote peregrina inhibita censetur, & consequenter illicita. Ex quo fit grauius maritos, Praelatos, & iudices peccaturos, qui ad purgandam suspensionem vxorum, subditorum, & litigantium, sumptione Eucharistiae vtuntur, & in his conueniunt Doctores cum D. Thom. q. 80. art. 6. & tradit optime Valq. disp. 210. c. 3. Suar. disp. 67. sect. 6. Henrici. cap. 56.

Monet tamen Suar. dicta disp. 67. sect. 6. in med. praedictam purgationem sumptione Eucharistiae illicitam non esse, si ex libera cuiusque voluntate assumatur, quia sic assumpta non est extra vsum, praecipue cum Gregor. VII. coram Henrico IV. (vt refert Lambertus in historia rerum Germaniae) in probationem suae innocentiae Eucharistiam susceperit, inuitaque Henricum, vt faceret, qui ausus non est vehementem suspensionem de illo habitam hoc tam diuino, & alto sacramento purgare.

